

27

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

**SANCTISSIMO
S.S. TRINITATIS MYSTERIO
EX ARTICULO CREATIONIS
OSTENSO,**

Quam

In Inclytâ ad Albim Academiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI EXCELLENTISSIMIQUE

DOMINI

JOHANNIS Deutschmann/

SS. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE IN HAC ACADEMIA, PROF. PUBL. CELEBERRIMI ET DE ECCLESIA DEI MERITISSIMI, ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORI GRAVISSIMI, FACULTATIS SUÆ h. t. DECANI

SPECTABILIS

DNI PATRONI, PRÆCEPTORIS, AC

l. diss. A
2, 27

PROMOTORIS OBSERVANTISSIME

COLENDI ~~E~~ ~~##~~ ~~##~~

ad Diem 28. Junii M DC LXXXIII.

publico examini

hstit

M. ADAMUS Beroldt / Dresdensis,

Gymnasii Regii Revaliensis vocatus Rector & Inspector.

WITTENBERGAE Typis Viduae AUGUSTÆ BRÜNINGII.

St. A. 162 (27)





IN NOMINE JESU!

DISSERTATIO THEOLOGICA
MYSTERIUM DEI TRIN-
UNIUS EX HISTORIA
CREATIONIS CON-
SIDERANS.

Inter alia *Christianorum* vel
requisita, vel *Exercitia*, *Paulus* Rom. XII. II. καιρο-
δουλῶν *sacram* etiam nominat & numerat inquires: τῷ
καιρῷ δουλεύοντες, & ex Sancti Spiritus instinctu præci-
pit, ut sint *Tempori servientes*: licet autem, cum *Vulgata Versione*, le-
gant aliter *Exemplaria quædam Græca*, sicut *Robertus Stephanus* testa-
tur, in *sex* diversis editionibus, & exemplaribus illud τῷ κυρίῳ se re-
perisse, sed in cæteris τῷ καιρῷ; tamen lectionem hanc usitatam
merito retinemus, *tum* propter contextus conformitatem, *tum*
propter ordinis dexteritatem, *tum* propter antecedentium & con-
sequentium affinitatem, *tum* propter aliorum locorum claritatem,
cum primis *Rom. XIII. II. Eph. V. 6.* *tum* propter virtutis hujus ne-
cessitatem, *tum* propter orthodoxæ vetustatis autoritatem: unum
hic *Ambrosius* ad. h. l. notamus scribentem: *In Græco* (nim. quoad
Exemplaria nonnulla) dicitur sic habere: Deo servientes, quod nec
loco competit. Quid enim opus erat, summam hanc ponere totius devo-
tionis, quando singula membra, quæ ad obsequia & servitia Dei perti-
nent, memoret? In omnibus enim iis, quæ enumerat, plenum Deo
servitium exhibetur. Servire tempori quid sit, alibi (*Eph. V.*) solvit,
A cum

cum dicit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: ut sciatis, quemadmodum unicuique respondeatis.* Quoniam autem dixerat, *Spiritu ferventes: ne hoc acciperent, ut passim, & importune verba religionis ingererent tempore inimico, per quod forte scandalum excitarent, statim subiecit: Tempori servientes, ut modeste, & cum honestate aptis & locis, & personis, & apto tempore, religionis fidem loquerentur.* Sunt enim quidam & in hoc tempore, quo pax est, qui sic perhorrent verba Dei, ut audientes cum magna ira blasphemant viam Christi. Nam, & ipse servivit tempori, quando, quod noluit, fecit. Inventus enim circumcidit Timotheum, & raso capite purificatus secundum legem adscendit templum, ut Judæorum sopiret insaniam. Hæc ille. Quod Paulus à Christianis in genere, nim. ut studiosi *καιροδελείας* sint, requirit, illud magis à Theologis exigit, ne studium *καιροδελείας* unquam ex oculis dimittant. Hinc sapientissimus hominum, & Theologorum, Salomon, jam olim in V. T. *καιροδελείαν* hanc *sacram* multis commendavit, & exemplis plurimis inculcavit *Eccl. III. 1. seqq.* Ipsa pariter *Ecclesia*, mysticarum virtutum, & spiritualium Exercitiorum fida magistra, *καιροδελείας* studiosa, quæ diversis temporibus diversa Christianæ Religionis Mystera fidelibus inculcat, quod *Tempus Adventus, Nativitatis Circumcisionis, Passionis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis Christi &c.* luculenter attestantur. Nec aliud præsens *Temporis intervallum*, quod *SS. Trinitati* dicatum, & ab antiquitate pia consecratum est, ominatur, atque nobis præscribere conatur. *Dominica Superiori Festum SS. Trinitatis* anniversaria solennitate, juxta consuetudinem vetustam, in *Ecclesia* celebravimus, & cum *Ecclesia* de tremendo hoc *Mysterio* Meditationes pias, juxta sacrarum literarum pandectas, suscepimus: *Dominica* *huius septimanæ*, sicut & omnes in *Anni* totius, qui dicitur *Ecclesiasticus*, circulo sequentes, à *Festo Trinitatis*, ab ipso *Mysterio Trinitatis*, gloriosam denominationem obtinent, dum à *Festo Trinitatis* numerantur, e. g. *Dominica I. Post Trinitatis, Dominica II. III. IV. post Trinitatis &c.* & ab ipsa *Trinitate* nominantur. Quid aliud istis denominationibus *Ecclesia* nobis indicare voluit, quam quod hoc totum temporis curriculum debeat esse *SS. Trinitatis Templum*, atq; *domicilium, Meditationum sacrarum* de secretis hujus *Mysterii* continuum *motivum, piarum mentium, ad venerabile dogma.*

dogmatis hujus scrutinium, efficax *incentivum*, assiduum ad evol-
venda scripturæ *loca classica* de SS. Trinitate loquentia *suscitabulum*,
jucundissimum *Exercitiorum Theologorum* de his arcanis Gymna-
sium, luculentissimum ad percipienda tanta Mysteria *pædagogium*,
certissimum in gustandis *svavissimis* istis deliciis *refectorium*, uti-
lissimum beneficiorum omnium è SS. Trinitate promanantium
vehiculum, abundantissimum salutis & felicitatis inde pendentis
navigium, fidissimum omnium *Mysteriorum privilegiorum*, & *benedi-
ctionum*, à SS. Trinitate cumulatissimè profluentium, *repositorium*,
& tutissimum horum omnium in Domino Deo nostro *signaculum*.
Pulchrum est, Deum Trinunum *contemplari*, *jucundum svavissimis*
mentis contemplationibus Eum *meditari*, *necessarium* est, piis me-
ditationib9 Deum *mente* sibi firmiter *imaginari*, *corde* *fideli* reveren-
ter Eum *hospitari*, anima cupidissima Totū *amplexari*, *corpore* *toto*
cum omnibus membris perpetuo cum eo, coram eo, *conversari*, *ver-
bis* & *ore*, *linguaq;*, de tanto Bono semper sibi *gratulari*, *spiritu* *devo-
to* in Deo Trinuno *gloriari*, *tota vita* *Summum* hoc Bonum, *Maximum*
hoc bonū, *Optimum* hoc Bonū, humiliter imitari. Felix ille *Christianus*,
Felix ille *Theologus*, qui piam hanc *καρσοσοφίαν*, prudentem hanc
καρρονομίαν, & salutarē hanc *καρροδελείαν* accuratè notaverit, accu-
ratus indefinenter observaverit, & *Tempus*, hoc anniversariæ Trini-
tatis, ad SS. Trinitatis planam notitiā, & plenam *gloriam* accuratissi-
me destinaverit. Hæc enim est *æterna vita*, juxta Christi *Joh XVII. 3.*
testimonium, *ut, Pater, cognoscant te solum verum Deum, & quem*
misiisti Jesum Christum. *Cognitione DEI nihil melius, meditatione*
DEI nihil svavius, possessione DEI nihil beatius. Per *collationem*
ad *cognitionem*, per *cognitionem* ad *meditationem*, per *meditationem*
ad *possessionē*, per *possessionē* ad *assimilationem* provehimur, sicut Cle-
mens *Alexand. l. 3. pæd. c. 1.* subinnuit: ἦν ἄρα πάντων μέγιστον μαθημα-
των τὸ γινῶσθαι αὐτὸν ἑαυτὸν γὰρ τις ἐὰν γινῶσθαι θεὸν εἴσται· θεὸν δὲ εἰδὼν,
ἐξομοιωθήσεται θεῷ. Idem *Aug. serm. 112. de Temp.* *Beata vita est cognitio*
divinitatis: cognitio divinitatis virtus boni operis est: virt9 boni operis est
fructus æternæ beatitudinis. Et paulo ante: *Cognitione Dei nihil melius*
est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est, unde & Salvator
ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna &c. Et *Bernhard. tractat.*

de interiori domo circa fin. Deum cognoscere plenitudo est scientiæ: plenitudo autem hujus scientiæ plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad hujus verò scientiæ plenitudinem opus est potius intima compunctione, quam profunda investigatione: suspiriis, quam argumentis: lacrymis, quam sententiis: oratione, quam lectione: cælestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione. Deî Trinunius notitia nostra summa sapientia, nostra maxima gratia, nobis maxima gloria. Meditatio proinde Dei nostri perpetua nobis esse debet, sicut Augustin. in soliloq. c. 8. fatetur: *Omni momento me Tibi obligas, Domine, dum omnî momento mihi magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla est hora, vel punctum, in omnî vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea* Magis verò Meditationibus Ecclesiæ publicis consonum, magisque propter sacram κακοδελείαν necessarium, ut hoc ipso tempore pias de *Mysterio Trinitatis & Meditationes, & Collationes*, instituamus. Cum igitur in præsentî nobis Theologicæ Disputationis ansa quædam exoptata sit oblata, juxta Monitum Apostolicum, τῷ καρῷ δαλεῦεν, piis commentationibus & contemplationibus τῷ θεῷ λατρεύεν, Christianæque κακοδελείας debitum in Amorem & Honorem Sacrosanctæ Trinitatis devote conferre, ac instar sacrificii spiritualis omnes hos conatus, atque labores sanctos humiliter offerre volumus. Et cum tota scriptura, cum Veteris, tum Novî Testamenti, divinis & authenticis, classicis & Canonicis Testimoniis de *Mysterio Trinitatis* abundet, tanquam inexhaustum mare, proinde modo Primum locum Classicum ex *Historia Creationis* Gen. I. & II. seligere placuit, ut ex hac sede prima *Mysterium Dei Trinunius* notemus, explicemus, demonstremus, atque contra portas inferorum consolidemus & confirmemus. Adsit SS. Trias sua gratia copiosa, sua sapientia gloriosa, sua potentia gratiosa, sua εὐσκοπία fructuosa, & nostras meditationes universas dirigat ad immensam Nominis sui gloriam, ad planam intellectus nostri notitiam, plenam cordis in *Mysterium Trinitatis* fiduciam, invictam salvificæ Veritatis evidentiam, & perpetuam Cacodæmonis, & aliorum Anti-Trinitariorum ignominiam! **FIAT! IN NOMINE JESU FIAT!**

Primum

Primum quod est, reliquorum ordine sequentium quoddam quasi principium est, & Antiquissimum quodque, juxta Vulgatum axioma, verissimum. *Mysterium Dei Trinum* citra dubium est omnium *Mysteriorum* Christianæ Religionis principium, cum Deus gloriosus sit Fons omnis religionis, & omnis cognitionis, scaturigo mysteriorum & beneficiorum, origo, vel Autor omnis scripturæ Canonice, & hinc pendentis doctrinæ, vel Theologiæ salutiferæ, atque consequenter fidei Christianæ, hinc dicitur primus & Novissimus, Alpha & Omega Esa. XLIV. 6. Apoc. I. 8. &c. Deus pariter est Antiquus dierum Dan. VII. 14. & vere Deus æternus, ac primæ, vel infinitæ durationis est. Objectum igitur nostræ tractationis & omnium primum, & omnium antiquissimum est, nim. Deus Trinus, qui Deus æternus Gen. XXI. 33. à diebus æternitatis Mich. V. 2. vivens in secula seculorum Apoc. XV. 7. qui Deus est à seculo in seculum. Psal. XC. 2. &c.

2. *Fundamentum* etiam nostræ tractationis est primum & antiquissimum, nimirum *Historia Creationis*, qua nec prior datur revelatio, nec antiquior ullius manifestationis conditio, cum *Historia Creationis* sit prima, tum ratione Dei, quia Deus primitus per creationem creaturis se patefecit, & nulla prorsus antiquior est DEI patefactio: tum ratione modi, quia Deus per creationem res omnes ex nihilo produxit: ipse dixit, & facta sunt, Ipse mandavit, & creata sunt Psal. XXXIII. 9. dum vocat. ex Non-Entibus Entia Rom IV. 17. τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, Hebr. XI. 3. ἐκ μὴ φαινόμενων τὰ βλεπόμενα, ex non apparentibus ea, quæ videntur; tum ratione objecti, quia creatione, præter Deum, nihil est prius, nihil antiquius, & omnia, præter Deum, objecta primum in creatione suam existentiam acceperunt: tum ratione verbi, quia primam in Verbo DEI, vel scriptura sacra, sedem *historia Creationis* obtinet, qua nec prior, nec antiquior revelatio reperitur. Sic igitur inter objectum & medium, inter rem consideratam, & fundamentum considerationis, pulcherrima datur harmonia, pulcherrima pariter analogia.

3. *Historia* proinde *Creationis* est Dei Trinini, ejusque revelationis *Fundamentum primum*, tum quoad primitatem ordinis, quia hæc revelatio, quoad ordinem, in sacra scriptura traditum, vel ob-

servatum, nullam ante si priorē admittit, dum statim *Gen. I. 1.* verbis initialibus scripturæ totius incipit, omnes autē alias divinas de *Deo Uno & Trino* post se longe relinquit. [2] quoad *primitatem naturæ*, quia per naturam nulla revelatio Dei potuit esse prior, quam ea, quæ facta fuit in creatione, *tum* quia hæc est revelatio *naturalis*, quæ fundavit ipsam naturam: *tum* quia dicitur revelatio *generalis*, *generalia* verò sunt priora *specialibus*; *tum* quia naturâ creatio dicitur *prima* DEI creatoris ad extra patefactio; *tum* quia per creationem producta sunt Entia, quibus postea fieri potuit DEI manifestatio. (3) quoad *primitatem temporis*, quia revelatio, per historiâ Creationis Dei Trinunius facta, statim in *Principio temporis Gen. I. 1. Joh. I. 1.* cœpit, ante *tempus* certe *tempus* nec fuit, nec esse potuit: cœpit igitur cum ipso tempore Dei Trinunius revelatio. (4) quoad *primitatem existentia*, quia nulla prior revelatio Dei Trinunius extitit, sed *actu* hujus revelationis *existentia* fuit omnium prima. (5) quoad *primitatem independentiæ*: nam ista revelatio Dei Trinunius, quæ reperitur *Gen. I. 1. seqq.* nec *actu* dependet ab alia, nec ab alia *dependere potest*, cum in ea reperiatur *primum* revelationis Dei vel *initium*, vel *principium*: è contra vero reliquæ cunctæ revelationes Dei, quotquot in scriptura passim traduntur, ab hac suo modo *dependere* dicuntur. *Primum* quod est, illud *immediatum*, illud *optimum*, illud *norma*, vel *mensura* sequentium &c.

4. (2) *Fundamentum antiquissimum*, quo cettè nullum dari potest antiquius (1) *quia* historia creationis omnes alias historias *antiquitate* superat, dum omnes reliquæ historiæ post creationem contigerunt [2] *quia* cœpit cum *temporis initio*, jam autem nullum tempus antiquius esse potest ipso *temporis initio*, quod omnia temporis intervalla post se relinquit. (3) *quia* revelatio creationis dat ipsum *esse* cunctis creaturis, & ipsis etiam hominibus: sed revelationes reliquæ, sive sint in regno *potentiæ*, sive *gratiæ*, sive *gloriæ*, faciunt potissimum *ad bene esse*: jam autem *simpliciter esse* citra dubium antiquius est, quam *bene esse*. Sic igitur hic iterum urgemus, quod *Antiquissimum* sit *verissimum*, *certissimum*, & *Optimum*.

5. (3) *Fundamentum propriusimum*, quod ex naturæ suæ *proprietas* fundamenti rationem obtinet (1) ratione Dei, quia Deus ipse

ipse Creationis Historiam, & in ea planam sui notitiam instar *fundamenti*, mediante revelatione posuit, & in ea reliqua cuncta *fundavit*. (2) *ratione sui*, quia *basis* notitiæ Dei tum *formaliter*, ratione *verborum Dei*, tum *materialiter*, ratione *capitum de Deo cognoscendorum*, exhibet. (3) *ratione nostri*, quia nobis nihil aliud est, quam primum cognitionis Dei fundamentum. (4) *ratione cuiuslibet alius objecti revelati*, siquidem historia Creationis apud *Mosen* introduci- tur, & tanquam *basis totius scripturæ*, cum Historia Creationis & divinæ revelationis sit *omnis scripturæ principium atque fundamen- tum*: & tanquam *basis omnis doctrinæ*, quia tota *doctrina de Deo & creaturis* in Historia creationis fundatur; & tanquam *basis totius Theologiæ*, quia tota *Theologia tum naturalis, tum revelata*, non ali- ter, quam ad genuinum *fundamentum*, ad Historiam Creationis, respicit. Sic igitur hoc *fundamentum* non est λεγόμενον, quod tale saltem *dicatur*, & sit nudi nominis: neq; tantum φαινόμενον, quod apparenter saltem *videatur*, vel exhibeatur ut fundamentum: sed potius ἀληθέστατον, *verissimum & realissimum fundamentum*, quod ipsa re *fundamenti rationem* exhibet, ejusq; tum *officium*, tum *usum* obtinet.

6. (4) *Fundamentum communissimum vel universalissimum*, adeoque vere *Catholicum*, quod colligitur (1) *ex communitate*, vel *universalitate Creatoris*: Deus enim est absolutus *omniū rerum crea- tor*, tum quia tantum *unus* est Creator apud *Sirac. I. 8. Unus est altis- simus, Creator omnium, omnipotens & Rex potens, & metuendus ni- mis &c.* tum quia *solus* est Creator *Esa. XLIV. 24. Ego sum Dominus, faciens omnia, cælos extendens solus, & dilatans terram, & nullus mecum*: tum quia *Creator adequatus*, quia *Deus creavit cælum & terram, & omnem exercitum eorum. Gen. II. 1.* (2) *ex communitate*, vel *universalitate Creationis*, quia Creationis historia vere dicitur, & est *universalis*, cum ab hac creatione cuncta pendeant *Entia*, pa- riter & cuncta, quæ sunt *Entium* (3) *ex universalitate manifestatio- nis*: nam quæ tempore Creationis revelata sunt, ea citra dubium *universalem manifestationem* inferunt [4] *ex universalitate commu- nicationis & impressionis*, quia Deus in prima creatione sui *quandam notitiam* creaturis omnibus certo modo communicavit, dum
omnes

omnes de Creatore, vel Autore suo luculentum perhibent testimonium, cum primis autem *sui notitiam* per *Theologiam naturalem* mentibus hominum impresit, quæ *notitia naturalis* citra controversiam est *universalis de jure*, licet *de facto*, tum à Socinianis, tum ab aliis, illa negetur, vel ad *acquisitam* restringatur. [5] *ex universalitate naturalis obligationis*, quia Deus & ad *sui cognitionem*, & ad *sui glorificationem* res creatas, potissimum autem Homines, obligavit *Act. XVII. 22. Rom. I. 19. seq. &c.* Sic igitur *Historia Creationis* fundamentum *Theognosias* vere *Catholicum*, & *Catholicam* de Deo doctrinam *fundamentaliter* omnibus proponit.

7. (5) *Pundamentum solidum*, quod deducitur [5] *ex soliditate principii revelantis*, quod Deus; penes quem est omnis doctrina & sapientia: ab eo hanc emere, vel nobis comparare debemus *Prov. XXII. 23. Veritatem omne, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore ejus prudentia & sapientia* *Prov. II. 6.* (2) *ex soliditate medii revelantis*, quod est *verbum DEI*, quod est *firmisimum verbum* *II. Pet. I. 19. eloquia Domini, eloquia pura, argentum igne examinatum, probatum, purgatum septuplum* *Pf. XII. 7.* (3) *ex soliditate objecti*, quia Dei notitia solida, & certa, cum Deus etiam in sua notitia sit *immutabilis* *Mal. III.* (4) *ex soliditate effecti*, quia nostram notitiam, fidemq; nostram, solidam & certam reddit, siquidem *lex Domini perfecta* (vel solida) *convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulus* *Psal. XIX. 8.*

8. (6) *Fundamentum adæquatum*, tum à priori, quia per *historiam creationis* Deus adæquate manifestavit, quæ de sua vel *essentia*, vel *operibus*, vel etiam *voluntate*, primitus ad hominum notitiam venire voluit, cum adæquata sit conformitas inter *verbum internum & externum Dei*, vel inter ipsum *manifestationis decretum*, & inter *manifestationis actum*: tum à *materiali*, quia cuncta, quæ facerent ad *veram Theognosiam*, vel *ratione nature*, vel *ratione attributorum*, vel *ratione operum*, per ipsam *Historiam Creationis* manifesta fecit: cognita vero Dei *Natura, divinis attributis, & Operibus*, adæquata datur Dei cognitio: quantum videl. ad *statum integritatis* pertinebat, cum ea, quæ *redemptionis & sanctificationis* bene-

beneficia concernunt, lapsum hominis præsupponant: tum à *formali*, quia verbum revelationis in historia Creationis sua gaudet *veritate, rectitudine, perspicuitate, perfectione* &c. nihil ergo, quoad modum revelationis, hic desiderari potest, unde *formale* revelationis erit *adæquatum*: tum à *posteriori*, vel à *finali*, quia Creationis historia, tanquam *medium divinæ cognitionis*, mentes hominum illuminat, ipsum Deum evidenter manifestat, sufficientem temporibus illis cognitionem suppeditat, in hac notitia pios consolidat, & immotam notitiam iis præstat, ac proinde suam adæquatam sufficientiam, quoad Dei notitiam atq; cultum, accuratè comprobat.

9. (7) *Fundamentum Obligatorium*: non enim Deus frustra sui notitiam in Historia Creationis manifestavit, neque statim post patefactionem ad se retrahere, vel sibi propriam servare cogitavit, sed potius nostris mentibus destinavit, & ad sui cognitionem omnes homines obligavit, tum *obligatione naturali*, quia τὸ γνωστὸν τῆ θεῆς mentibus nostris inscripsit, ita ut vere dicatur τὸ γνωστὸν τῆ θεῆς *Φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς Rom. I. 19.* tum *obligatione morali*, quia notitias infinitas de Deo propterea nobis hominibus implantavit, ut perpetuum essent ulterioris Dei cognitionis motivum & incentivum, efficax aliquod medium, quo sibi plenior ex creaturis notitiam Dei compararet, & ad perfectam Dei sui notitiam, tanquam ad scopum optimum collimaret. *Dei notitia summa nostra sapientia, summa nostra gloria. Nosse te, Deum nostrum, dicitur Sap. XV. 3. perfecta justitia, & scire virtutem tuam radix est immortalitatis:* tum *obligatione causali*, quia tanquam *Pater, & Creator*, nobis omnia dedit, sicut confitemur in *Symb. Apost. art. 1. Credo, quod Deus creavit me una cum omnibus creaturis, corpus & animam, rationem & sensus, & omnia mihi dedit* &c. sicut igitur ingratisimum esset, si *liberi* suos *parentes naturales* cognoscere nollent, à quibus & vitam, & cuncta vitæ bona trahunt; ita longe major ingratitudo foret, si *Patrem cælestem*, autorem vitæ, cunctorumq; bonorum agnoscere nollemus: quemadmodum autem *liberi* sunt *obligati Parentibus* suis, tanquam *autoribus vitæ* suæ; sic etiam *obligatio* talis, respectu *Creatoris*, cunctis hominibus incumbit: tum *obligatione civili*, quia noster est *Dominus, Rector, & Governator*, qui nobis gubernatione sua varia bene-

B

bene-

beneficia, variaque privilegia copiose largitur, adeoque, tanquam supremus *Dominator*, nobis suis *Ministris*, & *Creaturis*, nunquam benefacere cessat: sicut igitur *subditi* suum *Regem*, *servi* suum *Dominum* cognoscere tenentur, ita multo magis nos *Dominum* & *Regem* nostrum agnoscere debemus. *Cientes* ingrati forent, qui *Patroni* sui beneficiis quotidie fruarentur, neque tamen in *benefactoris* sui notitiam inquirerent, ipsumque cognoscere contenderent. *Deus summus Patronus* est, qui momentaneis, & quidem abundantissimis beneficiis nos ornat: quot vero sunt Dei beneficia, tot ad cognitionem Dei nos obligant arctissima vincula.

10. (8) *Fundamentum perpetuum*, sic historia Creationis, & omnia beneficia Creationis *perpetuum* sunt *Theognosias fundamentum*, tum quia hoc etiam *Dei verbum est æternum* *Esa. XL. 8.* tum quia creationis historia dicitur *optima Theognosias schola*, accurata *Theognosias disciplina*, perfecta *Theognosias regula*, perpetua *Theognosias officina* &c. Nam si Paulus Lytenses Gentiles *Act. XIV. 14. seq.* in studio veræ *Theognosias ad Deum vivum*, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & qui sine testimonio semetipsum non reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia, corda nostra: Item, Academicos Athenienses *c. XVII. 22. seqq.* *Deus*, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cum sit *Dominus*, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationē, & omnia: fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus &c. illustri *pædagogia* manuducere voluit, & potuit, & id ipsum felici successu fecit apud eos, qui corruptæ, vel excæcatæ mentis erant, quanto magis ex *Historia Creationis* *Theognosia Christianis* luculenter patebit.

II. Sufficiant hæc de *generali Theognosias* hujus contemplatione, quibus *Fundamentum* ipsum paulo plenius explicare volumus:
plura.

plura quidem propria notari possent, & hæc etiam pluribus declarari, sed ad ipsum *Objectum tractationis*, videl. *Theognosiam Dei Trinunius*, nobis pergendum, illudque breviter ex *Historia Creationis, Gen. I. & II.* descripta, deducendum.

12. Tota *Theognosia* complectitur alias *Onomatologiam*, & *Pragmatologiam*. Consuetam hanc methodum non mutabimus, quia paratam Deum cognoscendi viam in eadem evidenter observamus. *Historia Creationis Dei* non caret *Onomatologia*. Nos nec omnia, nec pleraque nunc annotare possumus, sed ex præcipuis tantum aliqua delibabimus. Citra dubium alia Dei nomina notant (1) *Essentiæ Divinæ Unitatem*: (2) *Alia personarum pluralitatem*: (3) *Alia personæ cujuslibet proprietatem & singularitatem*. Ab operibus petita nomina neutiquam hic vel scrutabimur, vel in ea quicquam commentabimur.

13. *Præcipuum* nomen, quod *Essentiæ Divinæ* designat, est יהוה quod equidem *Gen. I.* non reperitur. *Causas* ejus rei, quare Deus in prima *Creationis* descriptione voce *Jehova* non sit usus, à priori neutiquam indagare licet, à posteriori tamen notari possunt quam plurimæ (1) quia creatio non tam *essentiæ*, quam *energiam*, & *efficientiã* Dei spectat, quæ longe clarius in *subsistentiis*, vel *personis*, quam in *essentiâ* immediate, cernitur. (2) quia creatio dicitur primum *opus ad extra*, adeoque *relationem* quandam importat: in describenda proinde creatione prima Deus potius *Elohim* nomine, ceu *relativo*, quam *absoluto essentiæ* nomine, *Jehova*, voluit uti. (3) quia creatio dicitur *Dei manifestatio* quædam erga creaturas, imprimis *homines*: jam autem *personæ divinæ* variis *beneficiis* propius *homines* respiciunt, quam ipsa *essentiâ*: convenientius igitur erat, ut *personale* nomen in hac illustri manifestatione adhiberetur, quam nomen *essentielle*. (4) quia creationis opus *meris & miris* replebatur *beneficiis*: juxta scripturam autem *beneficia divina* sæpius ad *personas*, quam ad *essentiã* referuntur: sic igitur sapientissimus opifex in hoc *beneficiorum archivo* vel introducendo, vel describendo, *personali*, quam *essentially* nomine uti maluit. (5) quia creatio nihil aliud est, quam *operatio divinæ potentiæ*, vel *energix*, hinc vulgo dicitur *opus ad extra*: jam autem vulgata *Philosophorum*

B 2

regula

regula dicitur, quod *Actiones & passiones sint suppositorum*. In hac igitur operatione gloriosa describenda, Deus pro sapientia sua tum ad *personas*, tum ad *personalia nomina* respicere voluit. (6) quia juxta divinam hanc descriptionem Creationis opus ad *omnes & singulas personas Deitatis* referri debebat, ut nim. hoc *summarius* respiceret totum *scripturarum commentarium*, in quo modo *Patri*, modo *Filio*, modo *Spiritui Sancto*, Creationis opus appropriatur: ideo Deus sapienter hic in Creatoris descriptione *personalia nomina* terminis *essentialibus* præferebat. [7] quia cuncta propter nos, & nostram doctrinam scripta sunt *Rom. XV. 4.* jam autem juxta scripturas nos sæpius ad *Personarum*, quam ad *Essentiæ* contemplationem manducimur. Rationes alias hic cumulare non libet.

14. Licet autem in *primo Capite* Vox *Jehovæ* non reperitur, tamen in *capite II.* non semel, sed sæpius allegatur, & *undecies* iteratur. Nam cum Spiritus Sanctus *tribus* vicibus, in *tribus versiculis prioribus*, circa repetitionem summariam Creationis, & inaugurationem sabbathicæ sanctificationis, nomen *Elohim* solum adhibuisset, *undecim* vicibus in fusiori creationis, in primis *Hominis*, explicatione nomen *Jehova Elohim* repetere voluit. v. 4. seqq. adeoque *Jehova* nomen ad planiorem Creationis notitiam, & sic etiam ad plenam Creatoris cognitionem pertinere, luculenter ipso facto demonstravit.

15. Quoad nomen *Jehova*, plurima notari possent, tum *ortus*, vel *origo*, quam in ipsa voce monstrant *literæ radicales*, qua ratione deducitur ab *יהוה* *Esse*; tum *status*, vel *conditio*, sic in *Historia Creationis* semper ut *Nomen*, nunquam ut *Verbum*, ad quod *Crellius* hanc Vocis formam refert *lib. de D. & A. D. c. 15.* item ut nomen *singulare*, *proprium*, *essentiale*, &c. producit: tum *sensus*, vel *significatio*, qua ratione semper *Esse DEI* notat, *essentiæ DEI* luculenter importat, & *Essentiatorem* quasi, vel *omnium essentiarum Actorem* significat: tum *usus & relatio*, qua ratione semper hic cum *Elohim* conjungitur, qua de re postea non nihil meditabimur: & *sonus*, vel *pronunciatio*, item *scriptio* &c. Hæc fusius explicari possent, cum non obscura de iis *Historia Creationis* monstret argumenta, sed de his plenissime *Venerandus Dn. D. Galoyus* contra *Crellium* egit p. 218--395.

15, Per-

16. Pergimus ad Vocem *Elohim*, pluralitatis personarum indicativam, quæ capiti primo propria, & 32. vicibus in hoc unico capite repetita, capiti secundo non inusitata, cum v. 2. & 3. tribus vicibus absolute sine conjunctione vocis *Jehova* notetur, à v. 4. ad finem verò relate, vel in conjunctione cum voce *Jehova* sæpius, i. e. undecim vicibus adhibeatur, ut sic hæc unica vox *quadragies sexies* in historia Creationis inveniatur: qua ratione quot annis Templi secundi constructionem Deus promoveri voluit, quia Joh. II. 20. *quadraginta sex annis ædificatum est*, tot vicibus etiam Nomen hoc Creatoris ad structuram *Macrocosmi*, tanquam *templi regni potentie*, & *Microcosmi*, tanquam *Templi* mox in *regno gratie*, & *glorie*, futuri, Creationis in historia reperere constituit.

17. De Voce Creatoris *Elohim* plurimum tum quoad *Creationis Historiam*, tum quoad *universam Veteris Testamenti scripturam*, notari possent, partim quoad *Etymologiam*, partim quoad *Homonymiam*, partim quoad *Synonymiam*, partim quoad *usum*, &c. sed hæc omnia plenissime persecutus est *Venerandus Dn. D. Calov. l. d. p. 408. seq.* quod benevolam lectorem brevitatis ergo remittimus: Nos hic pauca saltem quoad *Historiam Creationis* breviter subjicimus.

18. Est autem hoc Nomen *Elohim*⁽¹⁾ *Emphaticum*, quia non tantum à singulari *Eloah*, sed à *rad. Hebræis* inusitata, consveta tamen adhuc in *Arabica* lingua, quæ *servire, colere, adorare* significat, descendit, adeoque sic, quoad numerum singularem, *plures in unitate essentie*, propter *immensam gloriam atque Majestatem, religiose colendos & adorandos*, vel ob *ingentia Creationis, Conservationis, Gubernationis, beneficia* subjectissima *servitute* prosequendos, *etymologice* significat. Ex quo rursus apparet, cur in creatione describenda primitus magis Deus Vocem *Elohim* adhibere voluerit, nim. ut ex *Creationis actu* statim *Creatoris cultus* pateret, ut ex *beneficiis innumeris servitutis, & humilitatis, ac subjectionis officia* penderent, ut in ipsa creatione *Majestatis divinæ symbolum & indicium* extaret, ut *Creatura*, post creationem statim, *Elohim, Creatorem adorandum* esse, notaret, eidemq; debitum *cultum, honorem, venerationem ac adorationem*, reverenter præstaret.

19. (2) Nomen Deo proprium (1) in sensu grammatico, quia non est appellativum. (2) in sensu Logico, quia non est accidens commune, sed uni, soli, & semper, competit Deo. (3) in sensu Rhetorico, quia non est figuratum, vel tropicum, aut translatum, qua ratione potius Angelis, Magistratibus, & aliis viris in Eminentia constitutis, tribuitur. Nam Vox Elohim sumitur (1) κατ' ἑσῖαν, ita soli Deo dicitur de jure proprium. (2) κατ' ἀναλογίαν, ita metaphoricè, propter quandam similitudinem, Angelis & Hominibus eminentibus attribuitur (3) κατ' ἀνωμαλίαν, sic abusive, vel κατ' ἀντίθεσιν, de factò, tum Diabolo, tum Idolis, tum aliis tribuitur. Hinc semper in significato primo supponitur, & solum Deum Creatorem significare dicitur, quod tum ex attributis, tum ex effectis, tum ex relatis, dum personæ Deitatis ad se mutuo referuntur, tum ex connexis, quia Jehova Vox toties eidem connectitur, tum ex omnibus adductis exemplis &c. hic prolixè demonstrari posset.

20. (3) Nomen quoad applicationem distinctum, quia distinctam applicationem admittit. Nam, ut notum est, non uno modo Vox Elohim etiam in propria significatione supponitur. Juxta nonnullos etiam sumitur materialiter, absolute, essentialiter, pro vero, summo, & essentiali Numine, qua tamen ratione pluralitatis sensum immediatum amittit, licet quadantenus pluralitatis respectum retineat: sed nos potius ad formalem, relatum & personalem applicationem respicimus, qua ratione communiter dicitur hoc nomen plurale, non equidem plurale tantum, ut voluit Cajetanus, quem numerus singularis Eloah nulla difficultate refutat: multo minus est pluralis numerus ab El singulari deducendus, sicut vult Enjedinus, cum hæc vox nec origine, nec significatione, nec formatione nostro Elohim conveniat: sed potius est plurale, tum ratione originis, tum ratione flexionis, tum ratione significationis. Hæc autem significatio diversimode, juxta scripturam, accommodatur. Nam Vox Elohim modo supponitur pro tribus personis, & notat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: modo pro duabus, vel pro Patre & Filio, quando respectus habetur ad Spiritum Sanctum, vel pro Patre & Spiritu Sancto, quando respectus habetur ad ipsum Messiam, tanquam à Patre & Spiritu Sancto missum; vel pro una, sed in connotatione

tione

tione pluralitatis perichoristica, sicut *Psal. XLV. s. & Pater Elohim, & Filius Elohim*, ille tanquam *Elohim ungens*, hic tanquam *Elohim unctus*, appellatur, uterque vero *Spiritus Sancto*, tanquam *Oleo lætitiæ* contradistinguitur. Quæ tres suppositiones vocis *Elohim*, quibus modo pro *tribus*, modo pro *duabus*, modo pro *una persona* Deitatis per universam scripturam introducitur, in Augusto hoc *Triadosophias Compendio Gen. I. 1. 2. 3.* conjunguntur, ordine satis admirando juxta *versiculos* producuntur, totiq; *scripturæ*, vel etiam futuræ vocis hujus usurpationi, quoad significationem propriam, *fundamenti loco* substernuntur. Nam *Gen. I. 1.* supponitur *Vox Elohim* (1) pro *tribus personis* v. 1. *In principio creavit Elohim Cælum & terram*, sicut enim hic datur (a) *communis actus*, vid. *Creationis*, quia *Pater* creat, *Filius* creat, *Spiritus Sanctus* creat: [b] *commune pariter opus*, quia *Cælum & terra* dicitur opus *Patris Creatoris*, opus *Filii Creatoris*, opus *Spiritus S. Creatoris*: (c) sic etiam in *Elohim* voce notandus *Communis applicationis status*, quia *Pater*, hic est *Elohim*, *Filius* est *Elohim*, *Spiritus S.* est *Elohim* (2) pro *duabus personis*, *Patre* nim. & *Filio* v. 2. *Spiritus Elohim incubabat aquis*: nam hæc *incubatio* non tribuitur *Patri*, nec *Filio*, sed soli *Spiritus Sancto*, nec hisce personis talis *incubatio*, vel *obumbratio* convenire videtur, sicut ex collatione locorum aliorum scripturæ manifestum, cum primis ex historia *Conceptionis & Baptismi Christi Luc. I. 35. Matth. III. 16. & obumbrationis*, vel *incubationis Apostolorum Act. II. 2. &c.* Nec per hunc *Elohim* potest intelligi *Spiritus Sanctus*, quia foret hac ratione *suiipsius Spiritus*, quod nusquam in scripturis fundatur, sed potius iisdem contrariatur; recte verò dicitur *Spiritus Patris Matth. X. 20. & Spiritus Filii Gal. IV. 6.* sic igitur h. l. *Spiritus Elohim* est *Patris & Filii Spiritus*, & *vox Elohim* pro *duabus istis personis* supponitur (3) pro *una persona*, nim. *Patris* v. 3. *Et dixit Elohim*: nam hic *Dicens Elohim* non est alius, quam ipse *Pater*, tum quia *Filius* non est h. l. *Dicens*, cum sit *Dictum*, seu *Verbum*, *Verbum* autem, vel *Dictum à Dicente* distinguitur, imo communiter *Verbum* in corde & ore *Dicentis* gignitur, qua ratione non inevidenter *Filii ad Patrem relatio*, vel etiam *Ejus à Patre generatio* nobis ostenditur: tum quia *Spiritus Sanctus* etiam h. l. *Dicens* esse non potest, siquidem [a] *Spiritus est Elohim Dicentis, & Elohim Verbi,*

Verbi, qua ratione luculenter à *Dicente* discernitur: (b) *Spiritus* est *Verbi Spiritus*, adeoque & à *Verbo spiratur*, & ab eodem procedit, qua de causa posterior est *Verbo*, non autem ipso prior esse potest, ut sit *Ipsi*us *Dicens*. Manet igitur, quod una persona *Patris* v. 3. per *Dicentem* intelligatur, ita tamen, ut cum *Dicente Verbum*, & cum *Verbo Spiritus* in opere *Creationis* jungatur, vel ad minimum omnes *Tres* connotentur.

21. Haecenus vidimus distinctim tum *Jehova*, Nomen *essentiale* Dei, tum *Elohim*, Nomen *personale*, quorum illud *Unitatis*, hoc *pluralitatis* indicium facit; nunc etiam brevissimis aliquid conjunctim de Nomine *Jehova Elohim* notabimus, quo tum *essentiae Unitas*, tum *Personarum pluralitas* formaliter, materialiter autem *Trinitas* designatur. Nam hoc est Nomen *Augustum* Dei, quod *undecies* in tali conjunctione *Gen. II.* repetitur. Videtur eqvidem nomen *complexum* sed magis *voce*, quam *re* complexum est, cum *ipsa re* Deus nullo modo componatur, tanquam *Res simplicissima*, & *Essentia* prorsus *ἀσύνθετος*, cum omnia, quæ sunt in Deo, *τὸ αὐτὸ* quiddam esse perhibeantur. Est autem hoc *Augustum* Dei Nomen *Jehova Elohim* (1) *Nomen indicativum*, quia tum *essentialem unitatem*, tum *personalem in Deo pluralitatem*, luculenter indicat per numerum *singularem*, qui dicitur *Unitatis*, *Jehova*, & per numerum *pluralem*, qui dicitur *multitudinis*, *Elohim*. [2] *Nomen definitivum*, quando siquidem quaeritur de vera Dei definitione, *Quid sit Deus*, neque brevius, neque planius, neque plenius, nec accuratius, neque melius definiri potest, quam si dicatur, *Deus est Jehova Elohim*, vel *Ens summum & infinitum*, in *distinctis*, vel *pluribus personis*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. (3) *Nomen subjectivum*, nam qua ratione *subjecti* loco ponitur aliàs Nomen *Jehovah*, sicut passim in *Scriptura* videre licet, nomen etiam *Elohim* fere semper, nim. *tricies* (excepto v. 2. & v. 27. *posteriori* loco: *bis* enim in hoc *uno versiculo* legitur,) *Gen. I.* *subjecti* sedem occupat, sic etiam nomen hoc *augustum Jehova Elohim* semper *Gen. II.* hoc est omnibus *undecim* vicibus loco *subjecti* reperitur. Magna vero *subjectis* præ suis *prædicatis* competit *eminentia*, cum illa saltem per *attributi* modum se gerant. Longe plura de hoc angusto Nomine proferri possent, cum illustrissima vel

vel beneficia, eaque distinctissima, tum Gen. II. tum alibi passim in scripturis attribuatur, sed hæc operosiores exigunt commentationem, quæ nobis hic non conceditur.

22. Neq; prorsus negligenda sunt *Dei Nomina*, quæ *singularitatis personarum* manifesta symbola sunt. Non equidem *Vox Patris & Filii* κατὰ τὸ ῥητὸν hic invenitur, *Spiritus* tamen aperte nobis ostenditur, & *Spiritus Elohim*, i. e. *Patris Creatoris, & Filii Creatoris* juxta *Scripturam*, dicitur, adeoq; *Pater & Filius* non excluditur, sed verè si non *verbaliter*, tamen *realiter*, si non *formaliter*, tamè *materialiter* introducitur. *Magnus*, scribit *B. Lutherus* *Comment in Gen. f. 2.* *Ecclesiæ consensus est de Mysterio Trinitatis hic tradito. Pater per Filium, quem Verbum Mose vocat, creat cælum & terram ex nihilo. His Spiritus Sanctus incubat. Sicut enim Gallina incubat ovis, ut pullos excludat, ova calefaciens, & calore quasi animans: ita scriptura dicit, Spiritum Sanctum quasi incubasse aquis, ut ista corpora, quæ animanda & ornanda erant, vivificaret. Nam Spiritus Sancti officium est vivificare. Sic porro, juxta B. Lutherum, Pater vocatur Elohim Dicens, Filius Elohim faciens, & Spiritus Sanctus Elohim videns. Patres, & Augustinus præcipue, scribit idem Lutherus p. 14. observarunt, quod Moses his tribus verbis utitur, Deus Dixit, Fecit, Vidit: quasi hoc modo tres divinæ majestatis personas voluerit ostendere. Verbo, Dicit, significatur Pater, ille generat Verbū in æternū, & in tempore constituit per illud Verbum hunc mundum: ideo accommodarunt Filii personæ verbum Fecit: Filius enim in se habet Exemplum non solum Majestatis divinæ, sed etiam exemplar omnium rerum creaturarum. Ideo dat esse rebus: & sicut à Patre res dicuntur, ita per Filium & Verbum illud Patris, res omnes subsistunt. Adjungitur etiam his tertia persona, Spirit. S. qui res creatas videt & probat. Alia ratione Pater appellatur Dictor, Filius Autor & Factor, cum sit architectus & opifex omnium creaturarum Prov. IIX. 30 Spiritus Sanctus Fotor & Motor, qui sua tum obumbratione, tum incubatione fovet massam, & movet ad suum esse creaturas, quod iterum indicat B. Lutherus d. I. Manifesta hic est distinctio personarum. Dicit enim, Deum esse, ut sic loquar, Dictorem, qui creat, & tamen non utitur Materia, sed solo Verbo, quod profert, ex nihilo facit*

C

cælum

cælum & terram. Et postea locum hunc cum *Job. I. 1.* confert. Sed de *Onomatologia* plura nunc addere non licet.

23. *Pragmatologia Theosophias* communiter explicat (1) *Dei Essentiam.* (2) *Dei Attribute.* (3) *Dei Opera.* Nos in his etiam annotandis *Historiam Creationis scrutabimur.*

24. *Essentia* respicit à priori *Dei Existentiam, Quod sit, à formali, semetipsam, Quid sit, & à posteriori, ratione nostri conceptus, in purificato loquendi modo, subsistentiam, Qualis sit?*

25. *Existentia Dei, vel quod sit Deus, ex Historia creationis* probari potest [1] *absolute, ratione sui, quod in se revera sit:* (a) *ex propriis & realibus Dei Nominibus, quæ veram existentiam subjecti requirunt* [b] *ex realibus Dei hypostasibus:* (c) *ex realibus Dei proprietatibus:* (d) *ex realiter notandis distinctionibus* (e) *ex realibus operibus:* imò quot sunt in *Historia creationis Dei verba, quot in creatione facta quot, per creationem, producta sunt opera, vel individua, tot existentie divinæ prostant argumenta.* Hæc enim omnia veram *Dei Creatoris existentiam* ante se requirunt, & ex necessitate quadam exigunt. Hæc autem argumenta tum è dictis jam clara sunt, tum è dicendis clarius apparebunt.

26. (2) *Relate, ratione nostri, quod Deus etiam nobis sit Deus, & tanquam Deus per Historiam Creationis cognoscatur, quod citra dubium est affirmandum.* Nam *Historia Creationis, & suppeditat Notitiam DEI Naturalem, & Revelatam.* *Naturalis* dicitur alias vel *Insita, vel acquisita, sicut in primis patet ex Rom. I. 19. ubi disertis verbis dicitur: τὸ γνωστὸν τῷ θεῷ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit, quæ notitiam insitam, vel concreatam tradunt: & mox pergit v. 20. Invisibilia Dei è creatione per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: quæ Dei notitiam acquisitam, vel comparatam exponunt. Eadem passim alibi tradit scriptura.*

27. *Nec hic deficit Creationis Historia.* Nam *insita, vel concreata notitia Dei* patet, tum ex *imaginis divinæ conditione, quæ necessariò secum Dei notitiam gerit Col. III. 10. tum ex imaginis divinæ communicatione, quia Deus in creatione suam imaginem, & hac mediante veram & intimam Theosophiam homini communica-*

Gen.

vit *Gen. I. 26. 27.* tum ex *divina Spiritus inspiratione*, quæ peculiariter homini, præter eum autem nulli creaturarum contigit: hæc inspiratio divina talem *Dei notitiam* secum affert: tum ex *Spiritus rationalis consideratione*: nam Angeli habent sibi *concreatam Theosophiam*: Ergo nec de hominibus aliud dicendum, cum *anima hominis* æque per creationem sit *intellectualis*, sicut *spiritus angelicus*: tum ex *interna divinorum contemplatione Gen. II. v. 21. seqq.*

28. *Acquisita* verò notitia DEI pariter deducitur partim ex *potentissima mundi productione*: Mundus enim suum Autorem negare non potest, sed eum manifestare necessum habet, *Mundus* est *liber ille magnus*, ex quo recte cognoscitur *Dominus*, licet non multis, sed paucis constet foliis. Partim ex *sapientissima creaturarum dispositione*, quæ non alius, quam *infinite sapientiæ* documentum est. Partim ex *mirabilissima Creaturarum singularum fundatione*: *Basin* suam cretura quælibet secum habet, sive hæreat in *excelsis*, sive lateat in *profundis*, sicut & gravissimus terræ, marisque globus in medio hæret, suamque *basin* pro voluntate Creatoris apud se fovet. Partim ex *stupenda creaturarum variatione*: *Dies* unaquælibet jussu Dei sua *propria* produxit *opera*, suorumque *operum species* innumeras, & *specierum* innumerabilia prorsus consecuta sunt *individua*, quæ rursus & *dotium*, vel *proprietatum*, & *operum* varietate se commendant, & *infinite potentie, sapientiæ & bonitatis* artificem oculariter manifestant. Uno verbo: Testatur omnis effectus de sua causa, de suo Autore, & nos in veram Autoris notitiam deducit. *Argumenta* plura proinde non producimus, ubi cuncta, quæ sunt, & apparent, argumentorum vim afferre, & eorum vicem sustinere possunt.

29. *Revelata Dei notitia* per specialem Dei revelationem nobis innotescit, & quidem per *revelationem Patris Matth. XVI. 17.* revelationem *Filii Matth. XI. 27.* & per revelationem *Spiritus Sancti 1. Cor. II. 10.* & hæc fit mediante verbo. *Tota Creationis Historia* nihil nisi *verbum DEI*, nihil nisi *revelationis* divinæ medium complectitur, adeoque multis modis in cognitionem DEI Creatoris per hoc verbum provehimur, cum primis quia *revelatio* hæc *Dei Trininitus* est *plana, plena, & perfecta*, pro ratione temporis illius, nec

aliam interpretationem Protoplastis *Spiritus ἐπιμνηστικός*, ipsorum
corda spiritualiter inhabitans, & inspirans, communicavit, quam
hodie nobis communicare consuevit, *unus est spiritus, unum est Ver-*
bum, unus & idem, isque perpetuus revelati Verbi *sensus*.

30. *Existentiam DEI* sequitur, in *Historia Creationis, Essentia*,
quæ pariter ex eadem satis clara, satis certa, satis firma. Nam
Deum Creatorem ostendit *Historia Creationis* (1) ut *Essentiam Veram*,
quæ probatur (a) *ex veritate Nominis essentialis*, quia vocatur *Jehova*, non semel, sed sæpius, & quidem undecies. c. II. v. 4. seqq. (b)
ex veritate Nominis personalis, quia vocatur *Elohim* in distincta sub-
sistentia: *subsistentia* verò neutiquam citra *veram essentiam* locum
habere potest. Jam *Elohim Dicens* est *vere subsistens*, *Elohim Ver-*
bum est *vere subsistens*, *Elohim Spiritus, incubans aquis*, est *vere subsi-*
stens. (c) *ex veritate attributorum*, quia plurima Creatoris *attri-*
buta notantur in *historia Creationis*, prout inferius patebit, & hæc
attributa sunt *essentialia*: omnis verò *proprietas essentialis* ad *essen-*
tiam, tanquam necessarium subjectum, refertur, & eam ex neces-
sitate præsupponit. (d) *ex veritate verborum, vel elocutionum*, quia
Deus Creator dixit: *Fiat lux* v. 3. *Fiat firmamentum* &c. v. 6. Conf.
v. 9. 10. 11. seqq. jam verò *non entis* nulla dantur *verba*, nulla datur
loquela: omnis autem *loquela* prærequiri *loquentem*, & omnis *lo-*
quens præsupponit *Ens*. (e) *ex veritate factorum, vel operum*, quæ
longa serie, tanquam *effecta Creatoris*, in *Historia Creatoris* recitan-
tur: Omnis autem *effectus* testatur de sua *causa*; omnis pariter *causa*
vera dicitur *Essentia, verum Ens*, cum *Non-Entis* nullæ dentur
Operationes.

31. [2] Ut *Essentiam summam & Infinitam*, quam *Historia*
Creationis probat [1] *ex appellatione*, quia Deus vocatur *Jehova*,
Ens Entium, Essentia Essentiarum, qui solus κατ' ἐξοχήν *Ens*, & verius
Essentiator, dum est *Ens à se, Ens in se, Ens per se, Ens propter se*, &
cunctis rebus aliis *Essentiam* communicat. Hinc B. Lutherus de
voce יהוה super c. 23. Jerem. scribit, quod *ubicunque ea reperiatur*
in scripturis, significet Deum, quoad essentiam & Majestatem divinam,
& quod Ebræa lingua fere decem habeat nomina, quibus Deum insi-
gnit, è quibus multa Deum ab operibus denominant; hoc autem Nomen
Jeho-

Jeho-

Jehovah solum Deum, uti est in essentia divina, designat. (2) ex Creatoris prioritate, quia prior fuit omnibus rebus aliis, fuit ante totum mundum, adeoque vere primus; sicut etiam Esa. XLIV. 8. primus & novissimus vocatur: primum autem Ens etiam Ens summum, Essentia summa. (3) Ex Creatoris causalitate, quia describitur in Historia Creationis, tanquam Autor & Causa rerum omnium: jam autem causa superior est effectu suo: sequitur igitur, quod ex causalitate necessario deducatur, Deum summam essentiam esse. (4) ex absoluta dominandi potestate: nam Gen. I. 28. homini potestatem, eorumque dominium concessit super omnes creaturas beneficio imaginis divinæ, quam ob causam eidem homagium quasi præstiterunt omnia animalia terræ, & volatilia cæli c. II. 19. sed longe superior creaturarum Dominus est ipse DEUS, adeoque vere dicitur summa, vel infinita Essentia, qua ratione dicitur Altissimus passim in scriptura, Deus altissimus Dan. V. 18. Dominus Altissimus Psal. VII. 18. solus Altissimus super omnem terram Psal. XXIII. 19. Deus excelsus Gen. XIV. 20. Dominus Deus excelsus v. 22. &c. & alia plurima elogia, Deum esse summam essentiam, demonstrant.

32. (3) Ut Essentiam relatam, quia dicitur *Jehova Elohim*, & non est absolute, vel simpliciter Essentia, sed Essentia in tribus personis subsistens. Nam quando Deum confitemur *Jehova Elohim*, nihil aliud confitemur, quam quod autoritate divina per Moysen Israelitis præcipitur Deut. VI. 4. *Audi, Israel, Jehovah, Deus tuus, Jehovah unus est: vel quod in Athanasiano symbolo profiteamur: Catholica Fides hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* hæc etiam Israelitarum, imo Rabbiorum Veterum fides, qui passim loquuntur de Tribus Existentiis, vel subsistentiis, de tribus existendi differentiis, de tribus Middoth, de tribus Panim, de Domo judicii, & multis aliis modis suam de pluralitate, & Trinitate personarum notitiam atque fidem abunde satis probatam reddunt.

33. In Historia Creationis Essentia divina, relate spectata, vel consideratur indeterminate, quoad personarum pluralitatem, in grammatico vocis *Elohim* statu, & phraseos, vel constructionis singulari respectu, quod patet tum ex v. 1. In principio *ברא אלהים*, de quo Rabbini Veteres dixerunt: Non liceret ita loqui, nisi scriptum sic esset:

tum ex v. 3. & seqq. ubi pariter *Elohim* cum *singulari* construitur
 numero *אלהים אמר* *Et dixit Elohim*, quod observante *Dn. D.*
Calov. in Bibl. Illustr. ad h. l. ex *Lud. Dieu novies* in hoc capite repeti-
 tur, *decimum Ebraei* includi ajunt in primis verbis, in principio crea-
 vit Deus cælum & terram, ex quo sit ortum *Rabb. diciturium, Decem*
Verbis mundum à Deo conditum; tum ex v. 26. *Faciamus hominem ad*
imaginem & similitudinem nostram: quæ certè verba nec more *Ma-*
gnatum, nec ad *Angelos*, nec ad *terram*, nec alio quondam modo
 vulgari, dicta sunt, sicuti *Judæi* cum *Aliis* nugantur, sed potius *sin-*
gulari, mysterioq; *Deitatis competenti modo* prolata dicuntur, sicut
 iterum *B. Luther.* l. cit. notanter observat: *Judæi & Ariani co-*
 nantur eludere h. l. sed nihil solide afferunt. Dicunt, Deum sic
 loqui cum *Angelis*, cum *terra*, & aliis creaturis. Sed quæro, cur
 id non antea quoque fecit. Quid pertinet ad *Angelos* homi-
 num creatio? Non nominat *Angelos*, sed simpliciter. Nos di-
 cit: igitur de *Factoribus & Creatoribus* loquitur: hoc non po-
 test dici de *Angelis*. Hoc certum est, nullo modo dici posse, nos
 ad *Angelorum Imaginem* creatos esse. Utrumq; hic poni-
 tur, *Faciamus*, & *fecit*, in plurali & singulari. Ideo clare &
 potenter significat nobis *Moses*, intus & in ipsa divinitate, &
Creatrice essentia, inseparabilem & æternam pluralitatem esse,
 hoc ne portæ quidem inferorum nobis adiment. Deinde,
 quod dicunt, Deum cum *Terra* loqui, etiam figmentum est, *Ter-*
ra enim non est factrix nostra: & cur non potius ad solem lo-
 queretur, cum secundum *Aristotelem*, *Homo & Sol* generent
 hominem. Sed ne hoc quidem convenit, quia non sumus facti
 ad *imaginem Terræ*, sed sumus facti ad illorum *Factorum imagi-*
nem, qui dicunt, *Faciamus*. Hi *Factores* sunt tres distinctæ per-
 sonæ in una divina essentia: harum trium personarum nos su-
 mus imago. Hæc ille. Nos additius ex *Socrate* lib. 2. *H. E.*
 c. 25. decretum Synodi *Syrmienensis*: εἴ τις τὸ ποιήσαμεν ἄνθρωπον
 μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγει, ἀλλ' αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν
 εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω. Ex his igitur *formaliter & verbaliter Plu-*
ralitas personarum demonstratur, consequenter & materialiter
 etiam

etiam *Trinitatis* Myſterium indicatur. Neque deſunt plura tum hic, tum alibi, *pluralitatis perſonarum* in Deitate certiffima documenta.

34. Falſum autem eſt, quod ex ſolo numero *plurali* vocis *Elohim*, vel etiam ex *ejus cum ſingulari conſtructione*, Noſtrates *Myſterium Trinitatis præciſè*, vel *determinate* demonſtrare velint, aut *actu ipſo* demonſtrent, ſicut citra veritatis ſuffragium *D. Georgius Calixtus B. Hulſemanno* ſuperioribus annis imputavit; Nam in *Diſſert. de Myſt. Trinit. §. 18.* propterea laudatum *Virum* reprehendit, eumq; *sibi non conſtare*, luculenter aſſerit ſcribens: Mirum non deeſſe, qui ſcribunt, Ex voce *Elohim*, conſtructa cum certis attributis, & pluralitatem, & Trinitatem perſonarum in ſacroſancta Deitate ſolide probare. Etiamſi enim ex voce *Elohim* probari pluralitas poſſet, quod lingvæ periti nunquam concedent, pluralitatem præciſè trium, nec laxiorem, nec ſtrictiorem, ſolide inde probari, nemo, cujus mens ſibi bonſtet, affirmabit. Carpit autem his *Syncretiſta* verba *B. Hulſemanni*, quæ leguntur in *Breviario* hic anno 44. promulgato c. 2. th. 3. p. 6. ubi ſic legitur: Ex voce *Elohim*, conſtructa cum certis attributis, & pluralitas, & Trinitas in ſacroſancta Deitate ſolide probatur *Gen. I. 1. & 26. Deut. VI. 4.* Contra *Photinianos*, & quosdam *Grammaticos*. Sed jam dudum *B. Hulſemannus* paſſim verborum ſuorum veritatem demonſtravit, quod etiam alii fecerunt. Nam quod *pluralitas* inde ſolide probetur, demonſtratur *ex natura pluralis flexionis, ex natura pluralis ſignificationis, ex natura pluralis relationis, ex natura pluralis distributionis, ex natura theticæ poſitionis & ſubſequentis ectheticæ commentationis, vel explicationis*, quia *Gen. I. 1.* compendioſa *Thesis* ponitur: In principio **ברא אלהים**, quæ poſtea tum in hoc capite, tum per univerſum *Codicem Veteris Teſtamenti*, & ſuo modo pariter in *Novo*, non aliter, quam de pluralitate per ope-roſam exegeſin declaratur, *ex natura ſubjectivæ conſiderationis*, quia vulgo dicitur, quod *verba, ſeu vocabula, ſecundum materiam ſubſtratam & accipienda ſint, & exponenda*, quod certe non eſt res *arbitrii*, ſed *neceſſarii Didacticæ requiſiti*, non eſt liberae noſtræ voluntatis, ſed potius & *formalis, & materialis neceſſitatis*, cum

inter

inter ἡμίματα & ἀργύματα sit vera *relatio*, debita *cognatio*, necessaria quoad certum textum *identificatio*, cum vocis *sonus* exprimat *sensum*, & *sensus* exprimat à *voce*, siquidem *sensus* est *forma vocis*: *forma* verò reciprocatur cum *materia*, sicut notissimum. Idem ex argumentis plurimis, cum primis ex *Interpretibus & Vetustioribus, & recentioribus*, notari posset, nisi res in vado versaretur. Sic igitur nemo, cujus mens sibi constat, negare poterit, in *phrasi* כרא אלהים juxta *Spiritus S.* tanquam *Autoris, intentum*, juxta *Mosis textum*, juxta *totum contextum*, juxta *continuum scripturae Commentarium*, juxta *totius Veteris & Recentioris Ecclesiae consensum, Veterum Judaeorum & Rabinorum*, ut & *Christianorum suffragium &c.*, pluralitatem personarum vere notari, & *solide* inde probari.

35. Præterea quod ex voce *Elohim*, constructa cum *certis attributis*, *Trinitas* etiam personarum probetur, facile confirmatur tum ex aliis, præter *textum Mosaicum*, idque variis modis: nam si (1) *construatur Elohim cum personalibus Nominibus propriis*, ut dicatur *Elohim Pater, Elohim Filius, Elohim Spiritus Sanctus*, est in *Deitate*, vel *tantum* est in *Sacrosancta Deitate*: (2) *cum personalibus ortus propriis*, ut dicatur *Elohim ἀγέννητος, Elohim γεννητός, Elohim ἐκ πορευόμενος* est in *SS. Deitate*. (3) *cum personalibus characteribus propriis*, *Elohim Gignens, Elohim Genitus, Elohim procedens*: (4) *cum personalibus numeris propriis*, ut dicatur *Elohim prima, Elohim secunda, Elohim tertia persona*, sicut alias dicitur *Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia persona*, cum primis in *sensu materialiter exclusivo*. (5) *cum personalibus operibus propriis internis*, *Elohim Generans Filium, Elohim exiens per generationem à Patre, Elohim procedens per spirationem à Patre & Filio*. (6) *vel cum personalibus operibus propriis externis*, *Elohim Creator, Elohim Redemptor, Elohim sanctificator* (7) *vel cum personalibus adæquatis differentiis*, e. g. ex *Joh. XIV, 16. Elohim à quo mittitur Paracletus Spiritus, Elohim, qui mittit ab Hoc Paracletum, Elohim Spiritus, qui mittitur &c.* in his & aliis certe nemo, cujus mens sibi constet, *solidam* probationem desiderare posset, cum nec hodie *Novi Testamenti Temporibus* in *tanta veritatis, & SS. Trinitatis luce*, *solidiora* prostant adversus *Hæreticos* argumenta.

36. Tum

36. Tum *juxta Textum Mosaicum*, quæ ratione pariter de-
 monstrari potest, quod ex voce *Elohim*, *construeta cum certis attri-*
butis, Trinitas personarum in Sacrosancta Deitate solidè probetur, &
 quidem (1) *ex attributis nominalibus*, nam qui dicitur hic *Gen. I. 1.*
Elohim, c. II. 4. seqq. undecies *Jehova Elohim* nuncupatur: jam
 autem *Jehovah Elohim*, prout superius notatum, nihil aliud im-
 portat, quam *Unitatem Essentiæ, Personarumq; Trinitatem*, quia Deus
 creator *Jehova*, quoad unam *Essentiam*, & *Elohim*, quoad *personarum*
Trinitatem appellatur, quod certè *propriissimum Dei nomen* est,
 adeoq; *certam, firmam & determinatam significationem* habet, quæ
 sicut per universam scripturam reliquam valet, & obtinet, ita pari-
 ter hic in limine vel cessare non debet, vel negari non potest, cum-
 primis quia *prima, proæmialis, fundamentalis, verèq; doctrinalis*
thesis hic inveniatur, quæ postmodum in sequentibus tum *capitibus,*
 tum *libris* explicatur. *Thesis* autem respicit *Ecthesin*, & *Ecthesis* re-
 spicit *thesin*: nam & *Jehova*, *proprium DEI Nomen*, nec de pauciorib;,
 nec de pluribus, quam de *Patre, Filio, & Spiritu S. Tribus* illis *Elohim*, in
 Scripturis Sacris usurpatur, nec *Elohim*, solitariè positum, in signi-
 ficatu suo proprio, vel *principali* de pluribus, vel *paucioribus*, quam de
Patre, Filio, & Spiritu Sancto, legitur in scripturis usurpatum, nec de
conjuncto nomine, *Jehova Elohim*, aliud *juxta scripturæ veritatem*
 observatur: nulla proinde ratio comparet, quapropter hic aliud
 sit vel concipiendum, vel asserendum, vel concedendum, nisi con-
 tra scientiam & conscientiam meliorem, velimus fieri veritatis, &
SS. Trinitatis proditores, & malitiosi scripturæ tortores atq; cor-
 ruptores. (2) *Ex attributis originalibus*: nam hic *Elohim* refertur
 etiam ad v. 2. ubi *Spiritus Elohim* introducitur: Vox *Elohim* in plu-
 rali significatu pauciores, quam duos, inferre non potest: hoc igi-
 tur certum atq; *solidum* est, quod hic *Elohim duo*, *juxta vocis pro-*
prietatem, designentur, nùm *plures* hic indicari possint, illud vel
ex contextu, vel *ex rei significatæ statu*, vel *ex significationis respectu*,
 vel *ex vocis sensu*, colligendum: quia vero nec *contextus*, nec *mate-*
riæ substratæ status, neque *significationis respectus*, neque *vocis prin-*
cipalis sensus plures *Elohim*, præter tres, nim. *Patrem, Filium, & Spi-*
ritum S. admittunt, unus autem, videl. *Spiritus S.* hic à reliquis
 D discer-

D

discer-

discernitur, & ad ipsos, tanquam *Spiritus Eorum*, refertur, hinc solide probatur, quod *duo* tantum *Elohim* v. 2. per hanc vocem connotentur, nim. *Pater & Filius*, quod etiam *toti Scripturae* tum V. tum N. T. congruum, *analogiae fidei* consentaneum, & *Symbolis Ecclesiasticis* consonum, ex quibus luculenter patet, quod *Spiritus Sanctus* sit *Pater & Filii Spiritus*. Si proinde *duae personae* per vocem *Elohim* introducuntur, ex necessitate *textus, scripturae, & Catholicae fidei*, *tertia* verò per *Spiritum* additur, sequitur, quod hinc etiam solide *Trinitas personarum* probetur. (3) Ex *attributis personalibus*, dum aliq. *Elohim*, tanquam *distincta persona*, producitur à *Mose* per *Dicentem*, qui *Pater* est, *Elohim* *Dicens*, atque *decernens*: alius *Elohim*, tanquam *distincta persona*, producitur per *consubstantiale Dictum*, seu *Verbum*, qui *Filius* est *Psal. XXXIII. 6. Joh. I 1. 2.* Alius *Elohim*, tanquam *distincta persona*, producitur per *Spiritum procedentem & incubantem*, qui *tertia* persona Deitatis est, & *Spiritus Sanctus* appellatur. Plures hactenus *Elohim* ex ipso *textu* nemo demonstravit, nec demonstrare potuit: nec *pauciores*, contra *textus veritatem, perspicuitatem & soliditatem*, fingi debent. Manet igitur hoc firmum conclusum, quod *Trinitatis mysterium*, vel *Trinitas personarum* ex his *certis attributis* solide probetur. Sicut alii quoque probant id ipsum (4) ex *attributis verbalibus*, quae sunt *Dicere, Facere, Videre*, vel *Mandare, Formare, Probare*, sicut superius jam annotatum, cum *Pater* sit *Elohim Dicens*, *Filius Elohim Faciens*, *Spiritus Sanctus Elohim Videns*. Alii (5) ex *attributis causalibus*, ad *tres relatis*, vel in *tribus identificatis*, qualia sunt, *Imago Dei* ter repetita, suoque modo sic ad *tres Elohim*, per *Consultationem conferentes*, ex *consultatione loquentes*, & post loquelam, vel per eam *exequentes* v. 26. 27. *relata*: nam dicitur (1) *Faciamus hominem ad imaginem nostram* v. 26. (2) *Creavit Deus hominem ad Imaginem suam* v. 27. (3) *Ad Imaginem Dei creavit illum*, *ibid.* Item, *Verbum Creavit*, ter repetitum in unico versiculo 27. *Et CREAVIT Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei CREAVIT illum: Masculum & feminam CREAVIT illos.* Huc etiam referri potest *Trina* repetitio vocis *Elohim* circa *consultationem & exercitium Creationis Hominis* v. 26. 27. Hæc equidem *superbis & superciliosis Spiritibus infirmis*

[firmis]

firmia, vel etiam ludicra videntur, cum exempla similia repetitionis tergeminae notare, vel allegare queant ex Jer. VII. 4. XXII. 29. Verum si quis *temporum illorum, & revelatorum primorum* statum, diversum *patefactionis*, & subinde *majorem* ex divina libertate *perspicuitatis gradum*, aliorum *Exemplorum Deut. VI. 4. Num. VI. 24. &c.* numerum, & alia, pie contulerit, suppositis argumentis solidis & apodicticis, illustrationis causa locum aliquem, vel postremum etiam, his denegare non poterit.

37. *Determinate* consideratur *Essentia Divina*, relate spectata (I) *In Patre*, de quo multa, juxta *Creationis Historiam*, sub *Elohim Dicentis persona* producere possemus, sed modo breviores lineas ducemus. *Quæ, qualis, quanta*, sunt quæstiones vulgares. *Qualitas & Quantitas cognitionis* primorum fidelium non tam facile defini potest, cum nec hodie certo defini queat, qualis & quanta sit Christianorum de *Mysteriis Trinitatis notitia*, cum in Ecclesie gremio plurimi reperiantur, in quibus nec *magna*, nec *perspicua* *Mysteriorum Trinitatis* invenitur *cognitio*. *Veritatem, & quidditatem* *Cognitionis* saltem adserimus, & eam quidem ex *veritate*, vel *quidditate* *divinae revelationis*, cum mensura nostræ *cognitionis* sit mensura *divinae revelationis*, dum omnis *cognitio divinae veritatis* ex *revelatione divina* pendet. Nos hac vice notabimus, quid juxta *verborum positum*, atque *significatum*, & *mutuum respectum*, juxta *Canonicæ declarationis perpetuum & infallibilem commentarium*, juxta *Sancti Spiritus, ceu Catholici Doctoris, Ductoris & Interpretis*, verbo semper præsentis, juxta *pium & assiduum Veterum Doctorum & Auditorum studium*, *Historia Creationis de Tribus Personis* nobis offerat.

38. *De Patre* notantur alias *prædicata Communia, & Propria*. *Commune* Pater cum reliquis personis habet, quod sit *verus Deus*, & in *Deitate vera persona*. *Vera Deitas Dicentis Elohim, vel Patris*, confirmatur (1) *ex divinis Nominibus*, quia vocatur *Creator* *Dicens Jehova, Gen. II. 4. seq. Elohim c. 1. 1. 2. 3. &c.* (2) *ex divinis proprietatibus*, dum ipsi divina prorsus *sapientia*, quoad creaturas inveniendas, disponendas, & sapienter ordinandas, *divina potentia*, quoad creaturas producendas, *divina bonitas*, quoad creaturas variis beneficiis & privilegiis exornandas, adscribitur: in primis tribuitur *Deo Creatori*, quod

opus alias Patri peculiariter appropriatur, Bonitas, sapientia & potentia, quia cuncta bene, sapienter & potenter condidit, quod multis Venerandus Dn. D. Calovius Comment. in Genes. p. 170. seq. probatum dedit, sicut & Thomas p. 1. q. 46. art. 1. scribit: Deus est causa mundi finalis ratione suæ bonitatis, exemplaris ratione suæ sapientie, efficiens ratione suæ potentie. Totus mundus est officina divinæ bonitatis, virtutis & sapientie. (3) ex divinis originibus. Nam oritur ab ipso Verbum, quod est Verbum Dicentis, & Spiritus, qui dicitur Spiritus Elohim, seu Spiritus Patris spirantis. (4) ex divinis operibus, quia tribuitur ipsi Creatio per omnipotentem jussionem, Fiat lux, Fiat firmamentum &c. quæ mandata solius Dei sunt: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt: per omnipotentem productionem, quia sine difficultate res omnes produxit; per omnipotentem continuationem & conservationem, quia non tantum divina potentia rerum essentias creavit, sed etiam easdem continuavit, & ad præsentem usq; diem conservavit.

39. Vera personalitas Patris, sive Dicentis, demonstratur (1) ex mundana præexistentia, quia fuit ante mundum conditum Psal. XC. 2. Joh. XVII. 5. & in primo rerum principio suam perfectam subsistentiam habuit, dum statim in principio creavit. [2] à definitionis personæ competentia, quia competit ipsi definitio, definitum igitur ei non denegandum, juxta Canonem tritum: Cui definitio competit, ei definitum quoque competat necessum est. (3) Ex verbi & Spiritus relatione hypostatica, quia Verbum, tanquam hypostasis, & Spiritus, tanquam persona, referuntur ad Dicentem, cum Dicens neque sit sine Dicto, neque Dictum sine Spiritu: jam si verbum & Spiritus sunt hypostases, Dicenti quoque personalitas denegari nequit. (4) ex personalium requisitorum convenientia, quia Persona dicitur (a) per se subsistere: Dicens Elohim per se subsistit, ut ex tota Creationis Historia liquet. (b) Non esse in alio, tanquam in subjecto, utpote quod est accidentium, nullo vero modo competit Elohim Dicenti: (c) Prædicari de aliis non in casu recto, sed obliquo, sic Dicens non est Verbum, nec est Spiritus: Verbum autem rectissime dicitur in obliquo Dicentis Verbum, & Spiritus Dicentis Spiritus, (5) ex personali energia, quia dicitur alias, quod, Actiones sint Personarum: hic
Elohim

Elohim Dicens est agens, cum verè sit creator omnium rerum, & plurimæ speciales actiones, tum in cap. I. tum in cap. II. luculenter eidem attribuuntur. (6) Ex personarum Creatarum ab eodem dependentia, quia tum Angeli, tum Homines, quibus vera personalitas competit, ut perfectio, sunt *Elohim Dicentis* & Creatoris Effectus: jam autem nihil est in effectu, quod non antea fuerit in causa, cum primis nihil prorsus perfectionis in effectu reperitur, quod in causa non deprehenditur, cum nullus effectus sit nobilior, vel perfectior sua causa.

40. His communibus prædicatis etiam propria certæ personæ subjunguntur, quibus à reliquis personis *Elohim Dicens* distinguitur. Sic non obscure notatur, tum quod sit prima persona, quia vocatur *Elohim Dicens*: jam autem *Dicens* non potest esse posterior *Dicto*, seu *Verbo*, neque posterior potest esse *Spiritu*, cum & *Verbum* è *Dicente* progrediatur, & *Spiritus* à *Dicente* procedat: adeoque prior est *Verbo*, prior est *Spiritu*, & sic inter hosce tres *Elohim* verè primus, seu prima persona, tum ratione originis, quia *Verbum* & *Spiritus* à *Dicente* oritur, tum ratione ordinis, dum ordine prioritatem aliquam sibi postulat, nisi præcederet *Dicens*, non succederet *Verbum*, neque *Spiritus*: tum ratione personalis relationis, quia *Verbum* refertur ad *Dicentem*, & *Spiritus* ad *Dicentem*, tanquam priorem, referri debet.

41. Tam quod sit à se persona, sine omni origine, sine omni productione, sine omni emanatione, hinc aliàs dicitur $\alpha\gamma\epsilon\upsilon\upsilon\eta\tau\omicron\varsigma$, & $\alpha\gamma\epsilon\upsilon\upsilon\eta\sigma\iota\alpha$ characteristica Patris proprietatis. Indicat hoc etiam Moses, quando *Dicentem Elohim* appellat *Patrem*. Probamus hunc characterem ex *Historia Creationis* (1) ex omnis originis absentia, quia Moses nullius Originis vel mentionem facit, vel ullam, ne quidem minimam, ejus insinuationem ostendit. Quod autem in verbo DEI revelato nec explicite legitur, nec implicite deprehenditur, illud in fidei mysteriis neque creditur, nec asseritur. (2) è *Dicentis Elohim* & reliquorum relatione mutua, qua *Dictum Elohim* originaliter quidem ad *Elohim Dicentem*, & *Spiritus Elohim* originaliter ad *Elohim Dicentem* reducitur, sed & respectu *Verbi*, & respectu *Spiritus* suam originationem propriam habet *Dicens*, ita quidem ut à se sit

Dicens, & ab eo *Dictum*, seu *Verbum*, & *Verbi Spiritus* derivetur.
(3) *Ex originantis activi natura*. Nam *Elohim Dicens* non, ut cum Scholasticis loquamur, *originatur passivè*, sed *active* dat Originem *Verbo & Spiritui*, qua ratione non ab alio, sed *à se*, vel *in se* dicitur *Originans*, aut *Originem habens*.

42.(II) In *Filio*, seu *Verbo*, ויאמר אלהים Et Dixit Deus, quod certe verbū non est *humanum*, sed *divinum*, non *vulgare*, sed maxime *singulare*, non tantū *προφορικόν*, sed etiam *ὑποστατικόν*, non *ortum*, sed *primum*, non *inadequatum*, sed *adequatum*, & ipsi *Creationi proportionatum*, adeoque maxime notabile, & propter gloriosa mysteria *Venerabile*. De hoc *Verbo* maxime variant sententiæ, quidnam per illud in textu Mosaico significetur. Sunt (1) qui per τὸ *Dicere Verbum internum*, *Verbum Mentis* atque *voluntatis*, quod dicitur alias *λόγος ἐνδιάθετος*, intelligunt, ut *R. Maim.* apud *Hotting.* „ in *Histor. Creat.* p. 49. scribit : Quod autem illa *Dicere* in „ *Opere Creationis* intelligenda sint de *voluntate*, non *sermone*, „ inde demonstratur, quia *sermo*, quo aliquid præcipitur, & „ mandatur, necessario dirigi debet ad *Ens* quodpiam, quod illud „ mandatum potest recipere. Tum autem nulla *Entia* adhuc fuerunt. Tale etiam est illud: *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Verum (1) quod *sermo* non sit excludendus, patet ex ipsis verbis allegatis: *Fiat lux, Fiat firmamentum &c.* hoc igitur assertum ipsi *textui*, vel *historiæ creationis* contrariatur. (2) Male sic opponitur, quæ sunt *relata*: *λόγος internus & externus*, vel *mentis & oris*, sibi mutuo non opponuntur, sed ad se mutuo referuntur. (3) *Dist.* inter *verbum hominis & Creatoris*, vel inter *præceptum politicum & divinum*: *præcepta hominum*, quibus aliquid præcipitur, necessario diriguntur ad *alia Entia*, sed de *mandatis divinis* illud simpliciter verum nō est, cum primis in *negotio creationis*, quia *Deus vocat ea, quæ non sunt*, tanquam *ea, quæ sunt Rom IV. 17.* item in *negotio resurrectionis mortuorum*, qui passim in *scriptura non esse* dicuntur, & tamen *Deus* è *sepulchris* eos *vocabit*, & *resurrectionem* eis *mandabit*, quemadmodum *Ezech. XXXVII.* & alibi notatur *Marc. V. 41.* *Luc. VII. 14.* (4) Falsum etiam, quod *Entia* tum *nulla* prorsus extiterint; communiter enim statuitur, quod *Deus* statim *Angelos* pro-

produxerit. v. 1. *cælum & terra* creata perhibentur, v. 2. de *aquæ* idem dicitur. *ibid.*

43. (2) Sunt *Alii*, qui simpliciter hic *verbum* $\omega\epsilon\phi\omega\epsilon\lambda\omicron\nu\nu$, *externum & orale* notatum volunt, cum primis quia *Moses Historicum* hic agat, & omnia, prout gesta sunt, describat, ipsa *verba* pariter in operibus singulorum dierum $\kappa\alpha\tau'$ $\iota\mu\mu\alpha$ legenda quoad textum introducat v. 3. 6. 9. 11. &c. adeoque suæ narrationis interpretem illustrissimum fistat, *sensus literalis & immediatus* ac *usitatus* sit omnium *optimus*, & quæ alia pro hac sententia juxta textum ipsum urgeri possunt. Sed hoc etiam alii refutant ex eo, quod *Deus sit Spiritus*, & corporalia verba nec admittat, nec admittere queat, nec *os corporis* habeat, adeoque nec *orale verbum* ipsi conveniat, neque tali vel *externo*, vel *orali verbo*, quoad operum suorum productionem indigeat, scripturam autem ad captum hominum, in describendo creationis opere, se accommodare &c.

44. [3] Sunt *Alii*, qui simpliciter *Verbum Hypostaticum & Substantiale*, vel *Essentiale*, hic intellectum volunt, nim. æternum *Dei Filium*, tanquam omnium *Creaturarum principalem architectum*, cum hoc *loca parallela* Testamenti Veteris urgeant *Psal. XXXIII. 6. Verbo Jehovæ cæli firmati sunt &c. Prov. IIX. 21. seqq.* ubi creatio rerum *sapientiæ Patris substantiali* tribuitur; & non raro *Mesfiæ*, tanquam vero Deo, passim in V. T. creationis opus adscribatur: idem etiam *explicationes N.T.* requirant *Joh. I. 1. 2. Col. I. 16. &c.* & certe nisi *Dei Filius* per *Verbum* intelligeretur, nulla prorsus *Filii Creatoris* fieret mentio, cum tamen *Pater Elobim Dicens*, & *Spiritus Elobim* disertis verbis introducantur, & hic debeat esse prima SS. Trinitatis manifestatio.

45. (4) Sunt *Alii*, qui modo *Decretum creatoris internum*, h. e. *Verbum Mentis*, & *jussum Creationis externum*, seu *verbum oris*, more Deo convenienti, conjunctim hic intelligunt, & *utrumq;* per *Mosen* in historia Creationis indicatum volunt: *Alii* *verbum hypostaticum & pronunciativum* in Historia Creationis conjungunt: quas *explicationes* non omnes eodem modo conjunctas cupiunt, dum alii *literalem*, alii *mysticum sensum* urgent, de quibus hic uberrus agere nolumus.

46. Nos

46. Nos probamus sententiam illorū, qui potiores explicationes has omnes conjungunt, & hic tum λόγον ὑποστατικόν, tum ἐνδιάθετον, tum προφορικόν *adequata significatione*, conjunctim intelligūt, quod confirmatur (1) *ex textu Mosaico*, qui planus & plenus est, & juxta mentem Sancti Spiritus talis esse debet, adeoq; nec λόγον *hypostaticū*, tanquam creaturarum *Architectum*, nec λόγον ἐνδιάθετον, tanquam creationis *intentum*, *propositum*, atque *Decretum*, neque λόγον προφορικόν, tanquam *externum* creationis *jussum*, omittit. (2) *ex authentico & perpetuo scripturae commentario*, quia scriptura Creationis opus adscribit & λόγον ὑποστατικῶν Psal. XXXIII. 6. Joh. I. 1. 2. Col. I. 15. 16. Heb. I. 2. 3. &c. & λόγον ἐνδιάθετον, vel *sapientiae DEI*, *consilio*, *decreto* Creationis Psal. CIV. 24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine & omnia in sapientia fecisti*, Esa. XL. 12. *quis mensus est pugillo aquas, & celos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, & libravit in pondere montes, & colles in statera? Quis Consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? & λόγον προφορικῶν, vel mandato Psal. XXXIII. 9. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt, quod est ῥήμα τῆς δυνάμεως αὐτῆς, verbum potentiae ejus Conf. II. Cor. IV. 6. Heb. XI. 3. (3) *Ex objecto adequato*: nam *adequatum objectum* respicit *adequatum suum principium*: jam *adequatum principium*, & *à priori*, & *à formali*, ratione perfecti operis considerari debet: *à priori* quando consideratur, *artifex* ipsa necessitate quadam requiritur, qui *citra dubium est λόγος ὑποστατικός* Prov. XIX. 30. *à formali* quando spectatur, tum κατ' ἔσω, tum κατ' ἔξω spectari solet, atque debet, cum in *artifice formaliter & voluntas*, atque *facultas*, & ipsa tandem *activitas* attendatur, siquidem si non *vult* operari, nec ipso facto tunc operatur: si *vult*, & non potest id sua facultate praestare, *frustranea voluntas* est: etiamsi *velit*, & *possit*, & *activitatem* suam ad *objectum* non applicet, *opus* ipsum non producit: sic etiam λόγος *hypostaticus* κατ' ἔσω hic secum habet & *voluntatem*, & *consilium*, atq; *decretum*, qua ratione juxta λόγον *internum*, *consilium* atque *decretum*, operari *vult*; & κατ' ἔξω *medium operationis* adhibet, nim. *mandatū verbum*, quo non existentibus praecipit, ut *existere*, vel *esse*, per creationem incipiant Rom. IV. 17. II. Cor. IV. 6. quod enim in hoc posteriori loco dicitur de luce, quod Deus dixerit, vel jusserit de tenebris*

bris

bris lucem splendescere, hoc de reliquis creaturis etiam intelligendum, cum de similibus simile ferendum sit iudicium. (4) ex opifice. adæquato, quia Deus in sacris literis, quoad omnia sua opera, sic introduci- tur, ut nim. quasi per internum consilium, atque propositum, seu de- cretum, aliquod opus constituat, & post ipso facto constitutum hoc opus perficiat. Quod vero de Deo sic in genere dicitur, illud de Verbo Deo, de Verbo Creatore, quoque concedendū, quoad nobilissi- mum hoc opus Creationis, præsertim quia primum hoc opus exterrū est Dei: primum autem solet esse norma, vel ansa, seu nota, succeden- tium. (5) ex adæquato artificio. nim. creationis, quod & requirit principiū hypostaticum, vel personale, quod est operationis, quia personarum sunt actiones, ut habet Vulgatus Canon: & principium διαθετικὸν internæ voli- tionis, dispositionis, & constitutionis, ut animus exemplariter primum concipiat & constituat, quid operari velit, atque debeat: & demum principium effectivū, vel externæ productionis, & actualis executionis: illud est ipse Dei Filius, Verbū hypostaticū; istud λόγος internus divinæ Mentis, hoc λόγος externus, executor operis. (6) Ex adæquato sensu: quia sensus adæquatus in Verbo Creationis, vel τῶν Dicere, tum Verbū Hypostaticum, tum ἐνδιαθετικόν, tum ἀεγοφορικόν includit, quia sine Verbo hypostatico deficeret Creationis principium, sine Verbo interno deesset creationis mo- tivum, quia decretum Creationis internum, & æternum, Deum mo- vit ad actualem, externam & temporalem, creationem, sine verbo creationis externo non adesset creationis exercitium, dum ipsam crea- tionem per verbum externum Deus exercere voluit: sine illo defice- ret principium operationis, sine isto principium constitutionis & dispositio- nis, sine hoc principium executionis: sine illo defectus adesset potestatis & facultatis, quia Verbum Hypostaticum essentialis origo potestatis & facultatis, sine isto voluntas, sine hoc activitas creandi nulla foret: sine illo abesset ortus causalus, sine illo formalis, sine hoc materialis, cum λόγος hypostaticus sit creationis causa, λόγος internus sit creationis idea, seu forma, vel exemplar creandorum, & λόγος externus materialiter sistat ipsa Creationis opera &c. (7) Ex adæquato respectu, quia verbum externum respicit, atque præsupponit verbum internum, sine quo nullum verbum externum commode dari potest, cum externum ver- bum ab interno necessitate quadam pendeat, & sine hoc interno

E

verbo

verbo suam existentiam nullum *verbum externum* habere queat: *verbum* autem *internum mentis* prærequirit *Verbum hypostaticum*, sine *persona* *verbum Mentis* nec datur, nec dari potest, cum omnis *intellectus* sit *personæ*, sicut etiam omnis *persona* dicitur *intelligens*, prout è *descriptione Personæ* liquet. Quod detur in *Creatione*, vel in *Historia Creationis*, *Verbum externum*, seu *Mandati*, patet ex *frequenti repetitione* potentissimi & efficacissimi *Fiat*, & ex ipsa *recitatione Verborum*, adeoque de hoc nullum lectori dubium esse potest: sic igitur datur etiam *verbum divinæ Mentis & voluntatis*, à quo *verbum* hoc *externum* pendet, & *Verbum Hypostaticum*, in quo *Verbum divinæ Mentis, & Voluntatis* sedet. (8) ex *adequato processu*: nam *Verbum hypostaticum*, tanquam *substantialis Patris*, vel *Dicentis sapientia & energia*, creationis opus, instar *Autoris*, vel *Opificis*, incipit, & hoc idem *Verbum Hypostaticum* per *Verbum internum Mentis, & Voluntatis propositum atque decretum*, instar *iudicis*, atque *Directoris*, omnem *Creationem* dirigit, ac ipsum *Exemplar* creandis præscribit; atque demum per *Verbum Mandati*, vel *externum*, omnem *Creationem perficit*, ac omnem *Creaturam* producit, in quo *Creationis processu* nihil quicquam desideratur, nec etiam desiderari potest. (9) *Ex potiorum Interpretum Consensu*. Nam ipsi *Rabini vetustiores, & saniores*, hic *Verbum Hypostaticum* notant, eique tum *voluntatem*, *delectationem*, *propositum atque decretum*, ceu *Verbum Mentis internum*, tum *mandatum atque Verbum externum* appropriant. Ex omnibus *Christianis Interpretibus* laudamus unicum *Venerandum Dn. D. Calovium*, qui *Commentar. in Genes.* ad h. l. p. 148. scribit: Per illud, *Dixit*, non solum *mandati verbum* notatur, sed quia *Deus non mandat, aut operatur, nisi per λόγον ὑποστατικόν, per quem omnia facta sunt Johan. I. 3.* Ideo *verbum Dixit* ita intelligendum hic, ubi de *creatione rerum* agitur, ut tum *verbum, Quo Dixit Deus Pater*, notetur, *Verbum nempe illud Hypostaticum*, per quod & loquitur *Pater*, & sine quo nec loquitur, nec operatur: tum *verbum Quod dixit, vel locutus est, λόγος δεστακτικός*, *Verbum Mandati, jussus & nutus divinus*. Uti cum nos loquimur *verbum externum oris*, non est sine *verbo interno mentis*: unde si plene illud explicandum sit, *Homo dicit, vel loquitur,*

loquitur, dicere hoc non est, quod homo lingua format articula-
 ram vocem, sed quod homo *Verbum Mentis*, quod animo concipi-
 pit, externa voce proloquatur, & efferat: neque tamen ideo ejus-
 dem vocis gemina significatio infertur, sed *Verbum* internum ex-
 terno declaratur: ita cum Deus dixit, *Fiat lux*, etsi non *verbum*
mandati tantum, sed etiam *Verbum* illud *Hypostaticum* *Filius*
DEI intelligatur, manet una vocis significatio, quæ plene ita ex-
 plicatur, quod Deus per *Verbum* externum & consubstantiale
Filium suum mandarit, ut *lux* fieret, quia *Hypostaticum* illud
Verbum dicendo manifestatur, quod nempe *Pater* sit *Dicens*, à
 quo procedit, vel oritur *Verbum Hypostaticum*: *Filius* sit *Ver-*
bum, quod à *Patre* ab æterno procedit, per quod loquendo, man-
 dando, & creando, (quia *Dicere Dei* est *facere*) ab ipso producta
 sunt omnia. Plura videantur d.l. ubi sententiam hanc etiam prolixè
 declarat ex *Basil. homl. 2. Conf. Bibl. Illustrat. ad h. l.* Breviter:
Verbum Dixit, significat *sensu pleno*, & *Verbum Hypostaticum*, *Quo*,
dixit Elohim Pater, vel *Dicens*, atque creavit; & *Verbum internum*
Mentis, atque *voluntatis* divinæ *Decretum*, *secundum Quod* *dixit*,
 & *secundum Quod Verbum Hypostaticum* creavit; & denique
Verbum externum Mandati, per *Quod* *dixit*, atque creatu-
 ras ordine produxit: idque demonstrat etiam *Sapientia substantia-*
lis, per quam Deus & decreta *Voluntatis* interna posuit, atque sa-
 pientissime creata proposuit, atque disposuit: & *Sapientia Mentalis*,
 quam κατ' ἔσω, tanquam *Exemplar* accuratissimum & exactissimum
Creationis, vel *Creaturarum* producendarum, in suo infinito intel-
 lectu Deus ab æterno fovit, & juxta quam in tempore creata produ-
 cere voluit: & *sapientia verbalis*, quæ per sapientissimum *Creatio-*
nis verbum, *jussum*, atque *mandatum*, in tempore manifestata, quæq;
divina prorsus *efficacia* cuncta, quæ sunt in mundo, *sapienter* actu
 posuit, disposuit, & exornavit.

47. Cum igitur certum sit, *Verbum Creans* hic notare *DEI*
Filium, nunc dispiciendum est, quid etiam de hoc *Verbo*, juxta
Creationis *Historiam*, nobis proponatur. Occurrunt hic iterum, &
prædicata Communia, & *prædicata propria*. Quoad *prædicata commu-*
nia tribuitur ipsi *vera Deitas*, vel ipsa *divina Essentia*. Nam quod
Verbum creans, tanquam *verus Deus*, introducatur, illud probatur

(1) *è divinis titulis*, quia dicitur *Elohim*: *Elohim* v. proprium h. l. Dei Creatoris nomen est: nomen autem proprium *Essentiae propriae* signum, vel indicium est. Quisquis enim est *Creator Elohim*, ille *verus Deus* est: *Verbum Creans* est *Creator Elohim*: Ergo *verus Deus*. Præterea dicitur *Jehova* c. II. 4. seqq. *Jehova* verò proprium itidem & *essentiale* Dei nomen est, quod pariter *veram Deitatem* arguit. *Filius* autem est ille *Jehova*; nam idem, qui C. I. creavit ut *Elohim*, creavit etiam c. II. tanquam *Jehova*: sicut etiam de eodem legitur *Esa. XLV. II.* *Hæc dicit Jehova, sanctus Israel, plastes ejus: signa petite à me super filius meis, & super opere manuum mearum præcipite mihi: Ego feci terram, & hominem super eam creavi, & manus meæ extendunt cælos, & omni militia eorum mandavi.* Sic etiam *Joh. I. 1. seqq.* *Verbum*, ut *verus Deus*, omnium creator constituitur. Nec alia ratione *Jehova Elohim*, conjunctum & *Majestate plenissimum Dei Nomen*, *Verbo* competit. *Gen. II. 4. seqq.* (2) *È divinis attributis*, qualia sunt *divina æternitas*, *verbum jam fuit in principio*, vel suam *subsistentiam* habuit *Joh. I. 1.* & sic fuit ante principium temporis, adeoq; sic vere dicitur & creditur *æternus Deus*, qui secula quoq; fecit *Heb. I. 2.* *Divina potentia*, cum *verbum hoc verè sit infinite potentia*, per quam omnia fecit, siquidè nihil sine eo factum est, quod factum est *Joh. I. 3.* imò quod ipsa *personalis Dei virtus* est *I. Cor. I. 24.* *Divina sapientia*, quia sapientissime cuncta fecit, sicut *effectus testatur de sua causa*, dum sapienter cuncta disposuit & ordinavit *Psal. CIV. 24.* hinc *substantiali DEI sapientia*, *Verbo*, seu *Filio DEI*, cuncta creata tribuuntur *Prov. IIX. 1. seqq.* *Christus autem est personalis Dei sapientia* *I. Cor. I. 24. & c.* (3) *È divinis personalibus prædicatis*, quia *Verbum creans* describitur ut *divina subsistentia*, vel *persona*, & eidem, tanquam *vero Deo*, tribuitur *Spiritus subsistens*, cum *Spiritus Sanctus* sit *Spiritus Elohim*, nim. *Elohim* etiam *Verbi*: Si *Spiritus Deus* est *Verbi*, sequitur necessario, quod etiam *Verbum* sit *verus, & essentialis Deus.* (4) *È divinis effectis*, quia *Verbum Creans* est *causa*, vel *autor omnium Creaturarum*, in primis etiam *Homini*; *Solus autem Deus verus* est *autor Creaturarum.* (5) *È divinis debitis*, quia debemus *in hoc Verbum*, tanquam *Creatorem*, *credere*, ipsum in omnibus *invocare*, tanquam
verum

verum Deum illud colere, vel adorare, & alios divinos cultus eidem exhibere, adeoque verè Deus est essentialis.

48. Deinde quoque *Verbo* competit divina personalitas, quod facilè deducitur (1) ex personali subsistentia, quia subsistit ut persona, imo suam subsistentiam non tantum habuit in principio creationis, sed etiam ante principium creationis, quia fuit apud Deum ab æterno Prov. IX. 21. Joh. I. 1. (2) ex personali differentia, quia tanquam persona distinguitur *Verbum Elohim* ab *Elohim Dicente*, & ab *Elohim Spiritu*. (3) ex personæ descriptione vulgata: nam persona dicitur subsistens, vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio: *Verbum* creans est subsistens, dum ut subsistens existit, & ut subsistens operatur: est vivum, quia dicitur ipsa Vita Joh. I. 4. XIV. 6. & omnibus viventibus in creatione vitam communicavit: individuum, quia est ultimata subsistentia: incommunicabile, dum ut persona neutiquam communicari potest: nec sustentatum ab alio, dum in se subsistit. (4) ex personali energia, quia *Verbum*, tanquam persona causaliter operatur in creatione, & aliis operibus, cum actiones sint personarum.

49. Quoad prædicata propria, *Verbum* in Historia Creationis introducitur, non tanquam prima Deitatis persona, cum *Dicens Verbo* sit prior; & *Verbum Dicentem Elohim* præsupponit. Ubi non est *Dicens*, ibi non est *Verbum*, cum *Verbum* à *Dicente* suam habeat originem: neque tanquam tertia Deitatis persona, quia *Spiritus* est posterior *Verbo*, dum vocatur *Spiritus Elohim*, id est *Dicentis Elohim*, & *Elohim Verbi*: Sed potius introducitur tanquam media, vel secunda persona Deitatis, cum *Verbum*, seu *Dictum Elohim*, prærequirit *Dicentem Elohim*, velut personam primam, & *Spiritus*, tanquam tertia persona, promanet à *Dicente*, & *Dicto*, seu *Verbo*, quare ratione manet hoc, quod sit secunda persona Deitatis.

50. Alterum prædicatum proprium alias infert *Characterem Hypostaticum*, nim. ipsam generationem à Patre. Sicut dicitur propter: a *Filius*, & quidem à Patre genitus Psal. II. 3. *Filius meus es tu*, *Ego hodie genui te*, nim. in hodie divino, vel æternitatis, cum aliud hodie proprie Deo convenire nequeat: unigenitus à Patre Joh. I.

14. III. 16. qui *character* equidē in Historia creationis *explicite* nō allegatur, *implicite* tamē insinuatur, dum Filius Dei *Verbū* appellatur: nam siue respiciamus *verbum internum mentis*, illud immaterialiter, vel spiritualiter in *mente generatur*, & subitanam & admirandam hanc *generationem* hactenus nemo sufficienter explicare potuit: siue respiciamus *verbum externum oris*, illud pariter in *organis & mediis elocutionis* ita gignitur, ut ejus generationem nec satis admirari, neque satis perscrutari valeamus. Utrumque *verbum* tam *externum*, quam *internum generationis aeternae* Symbolum est. Hinc etiam *Patres*, & alii *Doctores*, ex *Verbi* denominatione *generationis* mysterium declarare solent; *Quare dicitur λόγος?* interrogat *Basiliius*, ut ostendatur, quod ex mente prodierit, & sit imago Genitoris, totum in se ostendens Genitorem, & existens proprie: sicut & noster *fermo effigies est totius cogitationis*. Sed hæc, & alia, neutiquam operosius diducere volumus, sufficiat hoc nobis, quod *Historia Creationis suodamenta* quædam horum *mysteriorum SS. Trinitatis* nobis luculenter ostendat, lucem aliquam cognitionis proponat, & nos in pleniores commentationes *Scripturæ* manu quasi deducat.

51. (III) *In Spiritu Sancto*, qui, quoad *Trinitatis personas*, omnium clarissime notatur, & nomine proprio designatur, dum *Spiritus Elohim* appellatur. De hoc *Spiritu* maxima rursus divortia sententiarū sunt, quid literaliter & proprie hoc loco per eum sit intelligendum. (1) *Nonnulli* censent, per hunc *Spiritum* intelligendum esse *ventum*, sicut ex *Judæis Aben Esra, Onkelos. &c. ex Christianis, Basiliius, Tertull. Anastas. Theodoret. Procopius, Tostatus, & alii* voluat. Verum in principio creationis *ventos* extitisse, nunquam certis argumentis probabitur. *Venti* referuntur alias inter *meteora*: *meteora* sunt *affectiones corporum naturalium, nistiones effluviiorum*: quis verò statuet ante corporum naturalium productionem *meteora*, seu *ventos*, fuisse. (2) *Sunt alii*, qui *Spiritum mundi* notatum hic volunt, vel *animam Mundi*, qualem *Platonici* cum aliis statuerunt, qui cuncta vel *animare*, vel *movere*, vel *regere* perhibetur, de quo *Poeta* scribit:

Prin-

*Principio caelum ac terram, camposq; liquentes,
 Lucentemq; globum lune, Titaniaq; astra,
 Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
 Mens agit at molem, & magno se corpore miscet:
 Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum,
 Et quæ Marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.*

Sed Spiritus hic mundi potius in hominum cerebro, quam in mundo
 suam sedem habet, cum talis Spiritus nec detur, nec dari possit.
 Deus est mundi Spiritus causaliter, non formaliter, κατ' ἐξω, non κατ'
 ἴσω, ποιητικῶς, non συστατικῶς, per creationem & conservationem,
 non per constitutionem. (3) August. l. de Genes. ad lit. c. 5. bonam ac
 propensam Dei voluntatem per hunc Spiritum indicari censet, quæ
 Deus super aquas, sicut artifex super opus perficiendum, ferebatur, quo
 respicit etiam Gloss. interlin. Verum Dei bonam ac propensam volun-
 tatem à nullo creationis opere sejungimus, per Spiritum autem
 Elohim eam intelligendam esse non ducimus, quia voluntas nus-
 quam Spiritus Elohim appellatur, neque personalis status & actus ipsi
 convenire videtur. (4) Steuchus in κοσμοποιῶν, sapientiam Dei æter-
 nam, vel ipsum Christum intelligit. Sed personæ neutiquam in-
 ter sese confundendæ; cum igitur Verbum, seu Dei Filius sit Elohim,
 cujus hic dicitur Spiritus, prout superius demonstratum, sequitur,
 quod sub nomine Spiritus intelligi non possit. (5) Nonnulli locum
 explicant de vi quadam vitali, ac quasi seminaria, quam Deus aquis
 impresserit, ut ad piscium & avium productionem disponderentur, prout
 insinuant Chrysost. homil. 3. in Genes. August. serm. 134. de Tem.
 Sed hæc vis seminalis, atque vitalis, fuisset magis intrinseca, quam ex-
 trinseca, magis in materia, quam supra materiam, magis creaturæ,
 quam Creatoris: jam autem h. l. Spiritus Elohim dicitur aquis incu-
 buisse, motoris, aut creatoris instar, adeoque causaliter & effective, non
 autem seminaliter & subjective se habuit, δυναμικῶς, non σπερματι-
 κῶς, sicut ex aliis incubationibus, vel obumbrationibus Spiritus Sancti
 colligere licet. Et quamvis de seminali, seu vitali virtute impressa
 foret.

foret intelligenda, tamen ex *analogia creationis*, & *converſæ* *historicæ* *relationis* apud *Mofen* est manifestum, quod *Deus* prius *creaturas* produxerit, quam *seminalem vim* istis impresserit, sicut disertis verbis asseritur *v. 11. 12. & seqq.* Accedit etiam, quod *vis seminalis* sit *potentia naturalis*, *potentia naturalis* est *qualitas*, *qualitas* est *accidens*, *accidens* autem præsupponit *subjectum suum*, neutiquam autem ante suum *subjectum* existere potest. Denique quælibet *species creaturarum fecundarum* suum *proprium*, naturæque suæ *proportionatum semen* habet, adeoque nulla ratione *vis* quædam *seminalis generalis*, accurate loquendo, quæ *creaturas* in genere *fecundare* potuerit, *massæ* communicata fuit. (6) *Theoph.* lib. 2. ad *Autolyc.* intelligit quandam *naturam vivificatricem*, *tenuem*, *lucidam*, ac *inter cælos & terram mediam*: Sed itidem sine fundamento, cum hæc *sententia* nec *in textu*, nec *in creationis actu*, nec *in creationis processu*, fundetur. Dubium etiam hic maximum suboritur, an *inter Creatorem, & Creaturam*, *vis* quædam *media vivificatrix* concedi debeat, & dari queat. *Deus* solus est *Creator, & vivificator*; *vim* quandam *intermediam, & historia Creationis, & tota scriptura divinæ revelationis* ignorat. Talis *vis media vivificatrix*, *tenuis*, *lucida*, *inter cælos & terram media* vel esset *peculiaris creatura*, vel non. Si non esset *Creatura*, vel esset *Ipsa Creator*, aut *aliquid Creatoris*, adeoque *tenuitatis naturalis, locis & locationis naturalis*, ei nulla daretur *competentia*, quia *naturalia* talia neutiquam in *Deum* cadunt. Si *peculiaris* fuisset *creatura*, vel *adhuc esset*, vel *periisset*, sed *utrumque falsum*: nec enim *hodie* datur, quia nusquam in *tota rerum universitate* vel *sensibus* demonstrari, vel *rationibus* indagari potest, imò de illa *plenarium* apud *Physicos* est *silentium*. Si *periit*, *mundus* statim ab *initio* decremenda passus est, cum tamen in ipsa *Creationis historia* tam de *creaturis in specie* c. I. 31. quam de *tota mundi compage* c. II. 1. *seqq.* *perfectio* commendetur. Et si *creatura* fuisset, vel *inter spiritus*, aut *corpora* numerari debuisset: non *illud*, quia *tenuitas, localitas, inter cælum & terram medietas*, proprie dictis *spiritibus* non *convenit*; nec *hoc*, quia *naturæ corporales* sunt *certainæ speciei*, non *genericæ* *cujusdam, & quidem creatricis potentie*: sicut etiam

etiam

etiam certissimum, quod nulla creatura sit in consortium activæ crea-
 tionis admittenda: creaturæ passivè creatæ sunt, activè creare neq; de-
 buerunt, neq; potuerunt. (7) *Cajetanus* Angelos hic notari mavult,
 qui ceperint movere cælum, eoq; motu, qui est cælorum vita, suum in locū
 omnia distribuerint. Verū hoc facilius producitur, quam ex textu de-
 ducitur. Nam *Elohim* in hoc Capite simpliciter est *Creator*, licet sæpius
 repetatur, cum semper in sensu proprio supponatur. Deinde hic de
 uno tantum spiritu singulariter est sermo, maxima vero datur Ange-
 lorum multitudo. Sic etiam *Angeli* creaturæ sunt, in participatio-
 nem activæ creationis adscendere nequeunt, unde nec usquam in
 scripturis *Angelis* vel minimum *Creationis*, aut vilissimarum creatura-
 rum tribuitur, sed minimorum & maximorum creatio tantum ad so-
 lum Deum refertur. Hypothesis, de motu cælestium orbium, jam dudum
 est explosa: Tales orbis cælestes mathematica potius thesauri, quam
 propria phœni conceduntur. Firmamentum die secundo demum
 productum, hic igitur ad motum Orbium cælestium respectus haberi
 non potuit. Denique ex quo principio creaturæ suum habent
 naturalem ortum, ex eo quoque ducunt naturalem motum. Deus
 igitur, sicut *Autor* est creaturarum, sic etiam eorum motor est. (8)
Borrhai Comment. in Gen. ad h. l. Spiritum Sanctum & ventum con-
 jungit scribens: Duo (Moses) numerat, Spiritum & lucem. De
 Spiritu primum admonet. Atqui cum is bipertitus sit, alter in-
 genitus, qui proprie Dei Spiritus est: alter creatus, qui
 ventus est, uterq; hic accipitur. Alter ut primæ notæ, ac
 principalis Spiritus. De quo Vates: Et spiritu oris ejus omnis
 exercitus eorum. Alter, ut instrumentum moventis Dei Spiritus,
 quem in arefacienda terra sapiens artifex adhibuerit. Hæc enim
 vis in reliqua quoque scriptura vento, quem aer continuatus ma-
 ri huc, atq; illuc effluens efficit, tribuitur. Veluti legimus in-
 fra: Et adduxit Deus Spiritum super terram, & imminutæ sunt
 aquæ. Item in Exod. Cumq; extendisset Moses manum su-
 per mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi.
 Verum (1) talis conjunctio nec est necessaria, nec creationi congrua,
 F nec

nec textui consentanea: non illud, quia Deus nulla necessitate ventis indiget, nec ullam creaturam in creationis commercium adhibet: Ergo nec ventum: nec illud, quia creatio Dei solius opus est, quippe qui solus est creator: nec hoc, quia Spiritus Elohim, juxta textum verus Deus, non ventus, creator, non Creatura. (2) Dist. inter mundum producendum & productum: circa mundum producendum Deus nullos adhibuit ventos, nec eos adhibere voluit, sed in mundo producto ventos admittit, sicut testatur scriptura, natura, & experientia quotidiana. (3) Si ventus est instrumentum Dei, nullum hic locum invenit, quia Deus Creator non ἐπιπέσωσ, sed ἀπέσωσ, non per instrumenta, per modum vulgaris opificis, sed absque cunctis instrumentis, per modum singularis Artificis opus creationis expedivit. (4) Hinc, falsum, quod Deus die tertio ventum in arefacienda terra, ceu sapiens artifex, adhibuerit, sed potius, ut sapientissimus Artifex, sua virtute terram fundavit, & mare congregavit; non per naturalem ventum, sed per omnipotentem Dei jussu arida comparuit Gen. I. 9. Dixit Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, & appareat arida. Et factum est ita, nim. per omnipotentem Dei verbum, non autem per naturalem ventum, de quo prorsus altum in his verbis silentium. (5) posito verò, quod Deus ad arefactionem terrae die tertio ventum adhibuisset, nihil hoc ad Spiritum incubantem faceret, cujus hic sub initio primi diei fit mentio. (6) Dicta citata loquuntur de ventorum officio, circa mundum consummandum. Plures hic opiniones introducere nolumus, quales sunt Rabb. qui solium, vel Thronum gloriae, Francisc. Vales. qui elementarem ignem, Photin. qui virtutem Dei, vel alii, qui alia notata cupiunt.

52. Omnium optima dicitur sententia, qua Spiritus Sanctus intelligitur per Spiritum Elohim, idque probatur [1] ex proprio Spiritus Sancti nomine, quia quando Spiritus Elohim appellatur, illud nomen Spiritus Sancti propriissimum est, cum nec Patri, nec Filio, nomen hoc conveniat, sed Spiritui Sancto soli competat. (2) ex immediata relatione, quia Spiritus Elohim v. z. respicit ad ipsum Elohim v. i. adeoque Spiritus vere, mereque divinus, qui sit Creator, hic indicatur, qui non est alius, quam Spiritus Sanctus (3) ex duorum vocabulorum

torum

torum collatione, nam dicitur & Spiritus, & Elohim: jam autem ter-
 tia persona Deitatis & Spiritus est, & est Spiritus Elohim, h. e. Patris
 & Filii: collatio proinde vocabulorum horum, illustrissimum hoc
 nomen, vel augustam hanc denominationem constituentium, nos
 eò ducit, ut Spiritum Sanctum, & nullum alium intelligamus. (4)
 Ex Spiritus hujus introductione, quia non in medio, vel in termino, sed
 in principio creationis introducitur, adeoque sic statim in principio,
 tanquam subsistens, & ante creationem, vid. ab æterno jam existens,
 adducitur, ex quo firmiter colligitur, quod non sit alius quam Spi-
 ritus Sanctus, qui Spiritus æternus alias etiam appellatur Heb. IX. 14.
 (5) Ex Spiritus hujus originatione, quia tanquam Spiritus Elohim, i. e.
 Patris & Filii, producitur, qui nimirum ineffabiliter ab æterno per
 admirabilem spirationem spiratus. Nullus autē, nisi Spiritus Sanctus,
 ita spiratus à Patre & Filio. (6) Ex Spiritus hujus distinctione, quia di-
 stinguitur ab Elohim, quæ vox in plurali significatu duos ad mini-
 mum notat, nim. Patrem Elohim, & Filium Elohim, à quibus Spiritus
 hic, tanquam distincte subsistens, tanquam distincte vivens, tanquam
 distincte creans, vel incubans, personaliter discernitur. Talis autem
 Spiritus nec est, nec esse potest alius, quam ipse Spirit. S. (7) Ex Spiritus
 hujus conjunctione, quia Spiritus hic conjungitur cum Elohim Dicen-
 te, Patre, & Elohim Verbo, seu Filio, & in divinæ creationis con-
 sortium, tanquam Elohim, admittitur, ac in Mysterio summæ Tri-
 nitatis locus, ut ita loquar, ipsi conceditur: non igitur alius, quam
 ipse Spiritus Sanctus, supponitur [8] Ex divina Spiritus operatione,
 quia Spiritui Elohim tribuitur h. l. divina, vel activa creatio, quæ non
 potest alii Spiritui, quam Spiritui Sancto, competere: tribuitur
 eidem omnipræsens obumbratio, dum ea non ad certum locum, vel
 ad definitum aquarum tractum restringitur, sed potius ad univer-
 sum totius molis creatæ circulum extenditur, quæ certe non est crea-
 turæ, sed ipsius creatoris: tribuitur eidem omnipotens incubatio, fæ-
 cundans agitatio, movens & fovens, atque calefaciens vivificatio, vel
 animatio: Basil. Hom. 2. scribit: Quomodo ferebatur supra „
 aquas? Dicam tibi non meum sermonem, sed Syri (Ephremum „

“ juxta nonnullos intelligit) Viri à sapientia mundana tam lon-
 “ gè distantis, quam prope adest cognitioni, sive scientiæ verorum.
 “ Dixit hic, Syriacam vocem aliquid sonare significantius, tum
 “ ob affinitatem cum lingua Hebraica, tum etiam, quod scripturæ
 “ explicationi proximè accedat. Sensum igitur hujus verbi esse,
 “ ἐπεφέρετο, ferebatur, pro συνέθαλλε, fovit, & vivificam quendam
 “ virtutem fomento subjectis immittentis. Talia respectu massæ
 primigeniæ præstare, non est nisi solius Creatoris. (9) ex hujus &
 aliorum locorum inter se consociatione: non si locus hic cum similibus,
 de Spiritu S. loquentibus, jungatur Matth. III. 16. Luc. I. 35. Act.
 II. 2. seq. &c. cum primis verbum ἐπελθεῖν, & ἐπισκιάζειν, cum hoc
 incubationis opere conferatur, sic videtur inferre (a) οἰκονομικῶς ap-
 parere, sicut instar columbæ Spiritus S. apparuit, quam apparitionis
 οἰκονομίας emphasis verbi מרחפת, quod est fovere per modum columbæ
 vel gallinæ, nonnullis indicare dicitur. [b] apparendo supervenire, (c)
 superventu obumbrare, (d) obumbrando incubare, (e) incubando fovere, (f)
 fovendo movere, (g) movendo vivificare, vel animare: quæ singula circa
 creaturarum productionem in tanta rerum creatarum differentia
 suscipere, nullius alius Spiritus esse potest, quam Spiritus Sancti, seu
 veri Dei. [10] Ex potiorum Rabbiorum, & Interpretum, tum vetustio-
 nem, tum recentiorum, consensione. Targum Hierosolymitanum &
 Jonathæ de Spiritu gratiæ, vel misericordiæ exponit, qui non est
 alius, nisi Spiritus S. Zach. XII. 10. R. Salom. Spiritus oris Domini in-
 cubabat super faciem aquarum, sicut columba incubat super nidum: Ta-
 lis autem est Spiritus Sanctus in collegio SS. Trinitatis Psal. XXXIII.
 16, Alii Rabbiorum hic Spiritum Messiæ notatum volunt, & hunc
 locum cum Esa. XI. 2. conferunt. E Patribus Hieronymus, Basilius,
 Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Theodoretus, & alii plurimi,
 suffragiis suis hanc interpretationem confirmant. E recentioribus
 orthodoxi non tantum, sed etiam multi heterodoxorum Doctorum
 hanc explicationem approbant, adeoque causa præsens in vado
 versatur.

53. Cum igitur certissimum sit, hic agi de Spiritu Sancto, no-
 ta-

habimus etiam capita de reliquis Personis in superioribus laudata, nim. & *prædicata communia*, & *Prædicata propria*. Quoad *communia*, competit Spiritui Sancto (1) *Vera Deitas*, quia *verus & essentialis Deus* est, juxta *Creationis Historiam*, quæ probat *Spir. S. veram Deitatem* (a) *ex divinis appellationibus*, quia dicitur *Elohim* κατ' ἐξοχήν v. I. *Jehova* c. II. 4. seqq. *Jehova Elohim* ibid. (b) *ex divinis proprietatibus*, quia *divina* prorsus *Idiomata Spiritui S.* competunt, qualia sunt *æternitas* propter existentiam in principio & ante principium; *immensitas*, propter immensam obumbrationem & incubationem, respectu totius cæli & terræ; *omnipotentia*, propter creaturarum omnium productionem; *omniscientia*, propter sapientissimam creaturarum formationem, & totius mundi dispositionem &c. (c) *ex divinis apotelesmatibus*, quia *divina* prorsus *apotelesmata*, vel *opera*, Spiritui Sancto tribuuntur in *Historia Creationis*, qualia sunt *divina incubatio*, *divina fecundatio*, *divina creatio*, *divina conservatio* &c. (d) *ex divinis, iusq; personalibus characteribus*, quales sunt *divina subsistentia*, quia tanquam *verus & substantialis Deus* in *propria hypostasi* subsistit, *divina perichorisis*, & *immanentia*, quia est *Spiritus Elohim*, adeoq; per *divinam perichorisin* in Deo semper est, atque manet, *divina origo*, quia est *Spiritus Elohim*, qui à *Patre & Filio spiratur*. (e) *Ex divinis axiomatibus*, dum in Spiritum Sanctum, tanquam Creatorem credimus, eum ut Creatorem colimus & adoramus &c.

54. (2) *Vera personalitas*, quam *Historia Creationis* ostendit [1] è *personali subsistentia*, quia *Spiritus* est non *accidentalis*, sed *substantialis*, non *inhærens*, sed *subsistens*. (2) è *personali differentia*, quia tanquam *Spiritus personalis* ab *Elohim Dicente*, & ab *Elohim Verbo* distinguitur. [3] è *personali originalis excellentia*, quia tanquam *Spiritus* ab *Elohim spiratur*, & à *Dicente* atq; *Verbo* personaliter procedit: procedit autem non ut *flatus transiens*, vel *evanesçens*, sed ut *Spiritus permanens*, & *subsistens*. (4) è *personali incubationis conveniëntia*, quia competit ipsi *personali incubatio*, quæ *veram personalitatem divinam* arguit. (5) è *personali energias efficientia*, quia tanquam *persona* tum *energia personali* præditus, tum etiam, ut *persona*, circa

creationem , tanquam operationem causalem & personalem, est occupatus.

55. *Propria prædicata Spiritus Sancti sunt, partim quod est tertia persona Deitatis, quod Historia Creationis confirmat, tum quia non est prima persona, quæ Dicens est: nam à Dicente Spiritus progreditur, adeoque Dicens Spiritu prior, Spiritus v. Dicente posterior est: Dicens a. Elohim est Pater, prima persona: tum quia non est secunda Persona, quæ Verbum est, itidem Elohim v. 2. cuius Spiritus est Spiritus Sanctus: adeoque Verbum Elohim Spiritus sequitur ordine, quia sequitur origine, non autem ordine, vel origine præcedit aut præcedere potest. Manet igitur, quod sit tertia persona Deitatis, qua de causa Spiritus Elohim, h. e. Patris & Filii, nuncupatur, & ut talis per universam scripturam V. & N. T. manifestatur.*

56. *Partim quod sit procedens persona, tum quia Spiritus proprium est à Spirante procedere: jam autem hic Spiritus verus Spiritus est; ei proinde competit proprie procedere: tum quia spiratio & processio se mutuo respiciunt: dum igitur hic Spiritus ineffabiliter à Patre, Filioque spiratur, & propterea conjunctum Spiritus Elohim vocatur, jure quoque procedens Spiritus appellatur: tum quia sic scriptura Spiritum hunc passim interpretatur: Ergo nec alius, nisi Spiritus procedens hic v. 2. notatur.*

57. *Hucusque perspicue Naturam Dei Trinunius consideravimus, eamque, juxta Creationis Historiam, demonstravimus: nunc ad Attributiona divina procedendum esset, quorum satis multa, satis ponderosa dantur in Historia Creationis indicia: sed hæc brevibus saltè allegare, quam pluribus vel explicare, vel demonstrare malum. Tribuitur in Historia Creationis Deo Trinuni (1) Divina Unitas, quia Jehova Elohim unus est Creator, & tanquam unus introducit, tanquam Jehova describitur, & sic passim in scriptura, tanquam unus Creator explicatur. (2) Divina Veritas, quia vere existit, verè subsistit, verè creationis opus efficit. (3) Divina Bonitas, quia Deus cuncta bene fecit Gen. I. 31. (4) Divina perfectio, quia cunctæ creaturæ propter concretam perfectionem, divinæ perfectionis*
simu-

simulacrum sunt. *Gen. II. 1. seq.* (5) *Divina Majestas*, quia tanquam
 Ens summū majestate pollet, cunctisque majestate sua præsidet,
 ut toti mundi Creator. (6) *Divina spiritualitas*, quia *Spiritus* appel-
 latur *Gen. I. 2.* & in creatione, tanquam *Spiritus*, omnis corporeæ
 molis expers, revelatur. (7) *Divina immortalitas*, quia, juxta Creati-
 onē, est *æternus*, dum infinitæ durationis est, & ante tempus omne
 fuit. [8] *Divina Vita*, quia eminentissima *Vita* Deo competit,
 dum omnium viventium est *Autor*. (9) *Divina intellectualitas*
 demonstratur ex *sapientia summâ*, quam in creaturis producen-
 dis prodidit. (10) *Divina Voluntas*, quæ tum ex divinis Creatio-
 nis decretis, atque mandatis, tum ex voluntariis factis, deducitur.
 (11) *Divina libertas*, quia *liberrima* sunt ejus decreta, *liberrima*
 sunt Creatoris mandata, *liberrima* sunt Creatoris facta. (12) *Divina*
Immensitas, quæ demonstratur ex *immensa* super omnia loca ad-
 scensione, ex *immensa* locorum omnium constitutione, ex
immensa incubatione, ex *immensa* locorum omnium repletione,
 &c. (13) *Divina æternitas*, quia Deus, juxta Creationis Historiam,
 est *ante* tempus, *supra* tempus, & *autor* omnis temporalis dura-
 tionis, dum jam *in principio* creavit *Gen. I. 1.* (14) *Divina omni-
 potentia*, quæ cuncta citra difficultatem, citra moram, citra mo-
 lestiam, *omnipotente virtute* produxit. (15) *Divina omniscientia*,
 quæ, per admirandam sapientiam, omnia in sua *essentia* con-
 stituit, cunctas essentias pulcherrimis *proprietatibus* exornatas
 reddidit, & ad *operationes* varias sapientissime disposuit. [16]
Divina gratia, quæ cunctis è creaturis, cum primis ex hominis
creatione, *connubiali conjunctione*, & *ad vitam æternam destinatione*,
 luculenter innotescit. (17) *Divina justitia*, quia *juste* Deus cuncta
 distribuit, *justitiæ* legem posuit, & homines ad eam, vitamque
justissimam, obligatum fecit. (18) *Divina omnipræsentia*, quia cun-
 ctis creaturis præsens, nullis absens, & sic vere dicitur omni-
 præsens. Hæc omnia tum ex *verbis*, tum ex *factis*, in historia
 Creationis occurrentibus, multis explicari, vel demonstrari, &
 ad

ad *Mysterium Trinitatis* applicari possent, si vel necessitas id postularet, vel angustia chartarum, id modo concederet.

58. Denique notanda sunt *Opera Dei*, quæ citra dubium & *Essentiam Dei*, & *Attributa divina* præsupponunt. Nec in his vel allegandis, vel explicandis, vel juxta perpetuam *Scripturæ* tum *Veteris*, tum *N. T.* manuactionem, ad *Mysterium SS. Trinitatis* applicandis, cum, juxta perpetuam *Scripturæ* praxin, modo referantur ad *Patrem*, modo ad *Filium*, modo ad *Spiritum Sanctum*, operosiores erimus, cum in solis disco posita sint hæc omnia. Dicimus hoc unico verbo, quod *Historia Creationis* tota sit operibus divinis, miraculis divinis plena, quod non tantum opera generalia *Creationis*, *Conservationis* & *Gubernationis*, sed etiam specialia, singulis diebus propria, *Creationis* opera demonstrant, vel etiam opera vere divina circa *paradisi* *plantationem*, *Hominis Creationem*, *Animalium denominationem*, *Eve formationem*, *Conjugii nobilissimum institutionem* &c. satis evidenter manifestant. Sed hæc modo sufficiant in *amorē* & *Honorem SS. Trinitatis*, cui soli, cui semper, cui fiducialiter, cui sit in omnibus, ab omnibus, præ omnibus omnis *Honor* & *Gloria* in *sempiterna* *secula Amen!*

Coll. Diss. A 762, unsc 27